XXXIV.

DISSERTATIO JURIDICA
DE
LEGIBUS
IN
GENERE ET SPECIE,

Quam

DIVINA FAVENTE CLEMENTIA,

Conſenſu Magnifici JCtorum Ordinis in Illuſtri Academiâ Jenenſi,

PRÆSIDE

VIRO

Ampliſſimo, Conſultiſſimo, atque Excellentiſſimo,

DN. JOHANN. VOLK. Bechman/

J.U. D. celeberrimo, Patrono ac Præceptore ſummo honoris & obſervantiæ cultu proſequendo

Publicæ disquiſitioni Propono

JOHANN-GEORG. Knopff/

Autor & Reſp.

In Auditorio JCtorum.

Ad diem Februar. horis conſuetis.

JENÆ

Literis GEORGI SENGENWALDI.

M. DC. LIII.

Nobiliſſimo, Ampliſſimis, Conſultiſſimis

DN. MELCHIORI Weſtenholtz J. U. D. celeberrimo. Sereniſſimi atq; Illuſtriſſimi Principis ac Domini GEORGII WILHELMI Ducis Brunſuic. & Lüneburg. Conſiliario Eminentisſimo.

DN. CAROLO JOHANNI Arendeß J. U. L. Ordinum Ditionis Brunſvvigiæ Cellenſis Syndico Expeditisſimo.

DN. THEODORO Altroggen/ Dicaſterii Brunſvvigio-Calenbergenſis Advocato felicisſimo.

Nec non

Spectabilibus & Prudentiſſimis

VIRIS

DN. PHILIPPO Arendeß Marienſeenſi }
DN. BURCHARDO Knopff/ Artzenſi } Præfectis gravisſimis.

Dn. Dn. Cognato, Agnatis, Affini, Parenti Patronis, ac Promotoribus ſuis colendiſſimis, debita & filialis obſervantiæ memor, hanc Diſputationem in commendationem ſtudiorum ſuorum obſervantisſimè offert

Autor.

I.

PRinceps olim pro arbitratu ſuo cuncta gerebat, verba ac juſſa ipſius pro LL. erant. Populus enim antiquitus nullis LL. utebatur, uti id *Iuſtin. l.1. c.1. Tacitus 3. Ann. Halic. l.10.c.1.Pomp. in l.2.§.1 ff. d.O.J.* apertisſimè teſtatum faciunt: ſed quod
ncipi placebat, quod ille aut præcipiebat aut vetabat,
s habebat vigorem & executioni mandabatur, *arg.§.*
& quod 6. I. d. I. N. G. & C. l. legis 7. d. LL. Et hoc mo-
genus humanum per tempus aliquod fuiſſe guber-
ım non incredibile eſt.

II. Donec principes illi, vel ob negligentiam,
od ſibi ſuisq; proſpicerent ſubditorum ſalute poſtha-
à, vel ob ſuperbiam malosq; mores ſui officii parum
ent memores, & moribus actionibusq; ſubditorum
igendis parum curæ impenderent. Quo factũ ut alio
odo ſaluti humanæ conſulendum fuerit, illo enim ſta-
permanente parum abfuit, quin principibus & ſubdi-
mutuum exitium fuerit timendum: illi non niſi in
rpetuis, & majoribus, præ quam quibus Democles
m verſabatur anguſtiis eſſe poterant, quoties animo
orum obverſabatur funeſtus ille gladius & periculum
od ſubditorum malitia & pravitas illis poterat affer-
, quippe homo virtute carens omnium animalium ſæ-
sſimum & immanisſimum eſt, ad abdominis ventrisq;
bidines & cupiditates penitus abjectum, teſte Ariſto;

tele 1. *Pol. c. 2.* qualis populus ſub tali imperio non eſſe nequit; his diſcordia illis neceſſariò cohærente, omnis generis mala minitante: Sed non tantum malis illis removendis illæ præſto ſunt, verùm per has quid Majeſtati placeret quibus Reipublicæ commodum promoveret civibus exploratum potuit eſſe, quid? quod & Magiſtratui eo etiam norma fuerit præſcripta quam in jure civibus reddendo tenere debeant.

III. Quocirca tàm principis quàm ſubditorum interfuit in auxilium vocare leges quæ ſint regula ac norma ad quam actiones ſuas ſubditi componant, quæq; ſint juſſum ac vox principis quibus populus obſequatur, quasq; Princeps vel ipſe vel per alios obſervari pro virili curet: ut ita per has in officio populus retineatur, & ſui officii admonitus Princeps ſuis ſe Legibus conformet, ad melius excitandum populum.

IV. De Legibus (*tit in ff. de Legibus*) ergo impræſentiarum quædam in medium adferemus. Ne autem in iſtis pertractandis hallucinemur, ita rem commodiſſimè tractari arbitramur, ſi primo naturam legis, deinde quomodo circa illam homines verſentur, quantum pro ingenii modulo fieri poteſt, fecerimus planum.

V. Naturam ſpectantibus primò occurrit unde vocabulum legis deſcendat. Scholaſtici illam à ligando deducunt, quod nimirum illa hominem obliget ad hoc vel illud aut agendum aut omittendum. In quam ſententiam quo minùs loquamur, facit Cicero *L. 1. de LL.* qui legem à legendo, ut rex à regendo deſcendit, dictum putat, vel quod publicè legeretur, vel quod è multis quæ fieri poterant, conſultatione quadam lecta i. e. delecta eſſet. Quæ derivatio firmiori ſtare videtur talo, quamq; non ſubvertit, quod hujus appellationis ratio videatur

exclu-

udere legem Divinam, Naturalem, Gentium, & for:
n etiam eam quæ in Monarchiâ & Ariſtocratiâ condi-
ſoliq; legi tantum Democraticæ competere: Cum in
ninibus aſſignandis non ita curioſos eſſe neceſſum,
ſed ſufficiat aliquo modo rei naturam attigiſſe, aut
nonſtraſſe ſaltem, quidnam velimus intellectum.
q; enim vox ſemper ſignificat id, unde impoſita eſt &
ucta, ſed ſæpè aliud eſt id, quod per vocem aliquam
ificatur, aliud id de quo deducitur ut dicit Thomas
t.1.q.3.art.2 & 8. Tabor *part. element. diſp.1 th.6.* Val-
b.4. d. Lat. l ng. in princip: Si enim Etymologiæ tan-
ſſet vis, ut rei naturam exactè nobis ſuppeditaret, o-
ia vocabula conſilio, nulla caſu ac temere dici poſ-
t inventa, quod experientiæ puto adverſari, quid?
è multis hæc attingam; Nulla hodiè fermè eſſet Res-
blica cum à cura publici boni appellationem habeat,
ıci hodiè Senatores eſſent, quippe à ſenectute dicti.

VI. Nunc prolato pede, varium vocis uſum ho-
nymiam vocant, oſtendemus, Hanc enim omni ſtu-
ſpectandam & perſpiciendam eſſe illi, qui de re po-
s quam de nomine ſuſcepturus eſt diſputationem,
ius Ariſtotelis *lib.1. Top: c.14;* comprobamus exemplo:
ando dicit: *Meditatum autem & in promptu habere,
ot quicquam modis dicatur, magnum ad perſpicuitatem
ert adjumentum: Facilius enim quid ſit id de quo agitur,
xploratum ſit, quot modis dicatur intelligetur, In eo etiam
gna vis eſt, ut de re ipſa, non de nomine tractetur argu-
ntâtio.* Hæc Ariſtoteles. Notandum ergò legem in-
dum appellari ordinem quo tota rerum univerſitas
ipſo conditore & obſervatore regitur quomodo et-
n res inanimatas concernit de quo Manilius *l.1. Aſtron,*
ec quicquàm in tanta magis eſt mirabile mole Quam

ratio & certis quod legibus omnia parent. Hanc Legem *æternam* dicunt; interdum lex denotat id, quod ad ſolas actiones humanas pertinet & in hâc ſignificatione ſumitur lex variè 1. pro omni regulâ obligante ſive juſta ſive injuſta, quomodo comprehendit LL. Divinam, Naturalē, Gentium, Humanam quamlibet. 2. denotat regulam juſtam in *l. 1. & 2. ff. d. LL.* id quod colligo ex verbo PRUDENTIUM & DEI, & ita opponitur legi humanæ injuſtæ. 3, accipitur pro lege promulgatâ ſeu ſcripta *§. pen. I. d. I. N. G. & C.* & ita opponitur conſuetudini, 4. ſignificat conſtitutum populi Rom. Senatorio Magiſtratu interrogante factum §. 4. *J. d. J. N. G. & C* & ita opponitur plebiscito, ſenatusconſulto, Principum placitis, Magiſtratuum edictis. Reſponſis prudentum. Vide Hahn. *in not. ad Weſemb. Tit. de. LL. n. 1.*

VII. Nobis de Legibus acturis eatenus tamen quatenus humanas in Foro actiones concernunt, mittimus legem æternam, mittimus itidem legis in poſteriori ſignificatu reſtrictiores acceptiones, & in prima eaq; generaliori acceptione legem explicabimus & delineabimus.

IIX. Verum hic nubem definitionem videre licet, quæ veram rei naturā accuratè explicet ultra modū paucas cum pleræq; non quid res in genere ſit, ſed ſpeciem ejus aliquam definiant, ut in *l. 1. & 2. d. LL.* & quas habet Grotius *ibi in florum ſparſione. d. LL.* propter difficultatem forſitan, quod nimirum rei tàm latè diffuſæ accuratam definitionem adaptare momenti ſit haud exigui.

IX. Id quod nec nos negamus penitus, unde perfectam aliquam definitionem à nobis vix quis expectare poteſt. Ideoq; ſaltem deſcriptionem aliquam, quæ rei naturam aliquo modo exprimit, quæq; omni legi competit

afferemus. Et verò non prorſus diſplicet illa Hor-
. 4. *Eth.3.n.13.* Lex eſt, ajentis, decretum ſive Dei ſive
penes quem eſt Majeſtas in Republica vel naturæ
s impreſſum, vel ſufficienter aliàs ſancitum & con-
tum juxta quod vivatur, ita ut vel ſimpliciter expe-
&pium ac honeſtum ſit, vel expediat ſaltem huic vel
eip. Vel etiam brevius & commodius ita poterit
niri: LEX EST REGULA JUXTA QUAM VIVATUR, VIM
ENS COGENDI.

X. Genus in hac definitione eſt REGULA. Eſt
pè de natura generis ut illud pluribus inſit ſive de
ibus prædicetur, ſi non actu at potentia tamen. Id
d etiã hic evenire probatione eget nulla, cum Regu-
on de ſola lege actiones humanas concernente, atq;
propriè lex meretur dici, ſed etiam de lege (quam
nt) æterna, quæ tamen impropriè lex eſt commodè
it prædicari; adde alia multa quæ congerere noſtri
eſt inſtituti.

XI. Dicitur porrò in definitione, JUXTA QUAM
ATUR quod differentiam legis conſtituit. Unde per
: lex quæ ante per genus longè ſe exſerebat reſtrin-
r & tantùm eſſe dicitur, quæ actiones humanas mo-
tur exclusâ lege æternâ excluſis etiam regulis &
nis artificum.

XII. Tandem dicitur QUOD VIM COGENDI HA-
r, quo à conſiliis & admonitionibus differt, cum il-
llo modo neceſſitatem imponant ei, cui ſuggerun-
: præſcribuntur. Differunt ergò multifariam lex &
ilium; lex enim fertur ab eo, qui in nos habet ple-
poteſtatem, conſilium dat cui obſtricti non ſumus.
s juſſa exſequi officii eſt, Conſilium ſequi arbitrii
tua tantum 6. j. d. mandat. Conſilium volentibus
lex

lex etiam nolentibus datur, Jus conſiliarii tollitur arbitrio ejus cui conſilium datur, jus Legislatoris non tollitur arbitrio ejus cui imponitur lex. Eleganter Hobbes de cive *c.14.n.1.* qui tamen in hoc fallitur, quod putat legem & conſilium etiam in eo differre, quod conſilii ratio ſumatur ab ipſa re, quæ præcipitur, Legis autem ratio à voluntate præcipientis. Hoc enim modo lex naturæ non eſſet lex, cum ejus ratio ac obligatio oriatur à natura objecti indeq; ſe diffundat in præceptum, ut dicit Molina *d. J. & J. tr.* 1. *d.* 4. *n.* 2. Taxandi etiam ſunt Cicero & Plato ſtatuentes, Leges omnes conſtare debere procœmio perſuaſorio.

XIII. Definitionem diviſio legis excipit in qua proponendâ nos relictis aliorum veſtigiis hanc viam calcabimus, dicendo, omnem legem ſive omne jus obligationem ſuam aut ſortiri ab objecti naturâ, deinde ſe diffundere in præceptum ſive quod idẽ eſt obligationem habere intrinſecus: aut eam nanciſci, à præcepto & voluntate præcipientis, ſive extrinſecus illam advenire. Priori modo complectitur legem N. & Gentium primævam. Poſteriori modo vel oritur obligatio à voluntate divina & oritur lex divina, vel à voluntate humana, & oritur lex humana quam vel pleræq; gentes ſanciverunt inq; illam conſenſerunt, oriturq; lex gentiũ ſecundaria; vel una tantùm Reſpublica & oritur lex Civilis: Vide Sutholt, *diſp. 1. ad Inſtit. aph. 45. usq; ad 62.* Alias diviſionis legis, quæ potiſſimum ab accidente ſunt deſumtæ, huc non adferimus. Sed jam omiſſa definitione & Diviſione, Naturam legis explanaſſe videmur.

XIV. His ita præmiſſis ſtatim alteram diſſertationis noſtræ partem aggrederemur, niſi una atq; altera occurreret quæſtio circa LL. materiam enodanda, Quarum

una eſt; An omnis lex debeat eſſe juſta? ubi de le-
ivina nullus nobis eſt ſermo, cum à Deo lata ſit,
n conſtat eſſe juſtiſſimum & infallibilem. Neque
o nobis eſt de lege naturali aut Gentium primæva,
illa à Deo ipſo ſit cordibus noſtris inſcripta Rom. 2.
Deum autem illis nil niſi bonum inſcribere illius
it bonitas. Quid quod hæ LL. ſuam obligationem
nſecus ſortiantur, atq; inde à recta ratione ſint, quæ
ſſima, infallibilis quæq; errare poſſit nunquàm,
d latè probat Horn. 2. *Eth.* 2. *n.* 5. Conring. *diſ. de ju-
beſ.39.* Quæſtio ergò noſtra tantum eſt de lege po-
a humana, an nimirum illa neceſſariò juſta eſſe
eat?

XV. Hanc quæſtionem antequâm excutiamus vi-
dum quotuplex ſit juſtum. Id enim non eſſe unius
di, multa ſunt quæ perſuadent arbitrari. Cum ju-
aliquod ſit, quod ſimpliciter tale eſt ac abſolutè;
uſtum intrinſecè tale vocant, Quoddam etiam ju-
ſit ſecundum quid, quod nimirum ab humanâ po-
te ſuam ſortitur obligationem, atq; in unâ atq;
ra Rep. tantùm aut conſtitutum aut receptum eſt.
.4. *Eth.* 3. *n.* 9. Habetq; hæc juſti duplex acceptio in
Ariſtotele fundamentum, qui *l.* 5. *Eth. c.* 7. dicit, *jus
liud, quod ubiq; eandem vim obtinet, non quod ita decre-
ſit vel non; aliud quod ab initio hoc vel illo modo fiat, nihil
rt; cum verò conſtitutum eſt, tum demum refert.* Porrò
m aliquod à natura eſſe explicitè & accuratè de-
ſtrat Conr. *diſſ. de jure. th.* 36. Eſſe etiam aliquod
m ſecundum quid probo ex *pr. I. de nupt.* ubi dicitur:
s nuptias inter ſe cives Romani contrahunt, ubi juſtum
itur pro eo quod Legibus Romanis conſentaneũ eſt
quod ſimpliciter & per ſe ſit juſtum. Vinnius *ad*

hunc locum. Deinde ex hoc *pr:* ita argumentor: Si poſito juſto ponitur injuſtum etiam poſitis juſtis nuptiis quæ nempe contrahuntur ſecundum LL. Romanas ponuntur etiam injuſtæ quæ nimirum ſolennitâtes juris Rom. negligunt; ſed poſito juſto ponitur injuſtum ex natura contrariorum, quorũ alterum ſi natura ſit, etiam natura alterũ eſſe neceſſe eſt Ariſtoteles *2. de cœl. c. 3. t. 19.* Ergò poſitis talibus nuptiis juſtis, ponuntur etiam quæ ſecundum leges Rom. non celebrantur, daturq; per bonam consequentiam juſtum aliquod & injuſtum ſecundum quid tale.

XVI. Poſteriori modo juſtum ſi accipimus affirmamus omnem legem debere eſſe juſtam, ut lex non ſit quæ non ſit juſta. Cum enim juſtum hoc modo ſit illud, quod in aliqua civitate eſt conſtitutum, ut ſecundum illud & Resp. regatur & cives actiones ſuas inſtituant, neceſſarium eſt ut illud ſtatui conveniat & expediat, & per conſequens Leges juxta tenorem illius juſti condantur, ut ne latum ab eo unguem recedant, niſi aureo annulo conficiendo velis adhibere raſtros & dolabras. Habet nimirum lex eundem àd civitatem reſpectum, quem virtus ad hominem. Atq; uti virtus eſt medium quo homo felicitate civili imbuitur honeſteq; vivit, ita lex quæ virtus armata aliàs audit eſt medium, quo civitas ſuam felicitatem nanciſcitur eamq; conſervat; quod tamen efficere non poteſt, niſi juſto illius civitatis conformis eſſet, & per conſequens hoc modo juſta.

XVII. Juſtum ſi poſteriori modo accipias negamus leges neceſſariò debere eſſe juſtas, intrinſecè nimirum. Si enim omnis lex poſitiva humana eſſet intrinſecè juſta nefas eſſet dicere eam ex alio quâm naturali jure eſſe, utpote quod ſolùm intrinſecè ſit juſtum, ſuamq;

; obligationem ab objecti natura habeat, & deinde præceptum diffundat, ut ſupra cum Molina dixi-. Verùm quam inconveniens hoc ſit, non poteſt la- illos, qui ex civili & forenſi prudentia hauſerunt, ies LL. humanas aut ad jus publicum aut privatum inere, illas ſtatui ordinando, has civiũ æqualitatem ſervando Reipublicæ incolumitatem præſtantes. verò de Reipubl. adminiſtratione natura propemo- nihil ſanxit, ſed humanæ illam prudentiæ & liber- reliquit, & quamvis aliquem certum ordinem velit, m in procurandis civilis vitæ negotiis ſequi debea- s, nullum tamen definivit ſed humanæ hoc potiùs ıſtriæ reliquiſſe videtur, ut pro ratione Gentium ipſi erent, quid è re ſua ſit futurum maximè uti loquitur nring. *in præfatione ad Tacitum de Morib. German. p. 19.* *d. Jurisp. Juſtin. in Germ. Autor. & Diſp. de ſumm. pot.* *th. 23.* Cumq; inde propatulo ſit Leges Reip. ſtatum nediatè concernentes, juris naturalis non eſſe, ſed nes eſſe merè poſitivas. Sequitur eſſe aliquas Leges, e cum ex jure naturali non fluant, etiam non ſint in- ıſecè juſtæ.

XIIX. Deinde cum omnis, qui corpori alicui Po, co gubernando inſtituitur ordo, (Rempubl. voca- ıs) duorum ſit generum: unus bonum & commo- m publicum omnium intuens, qui exinde Rectus ſ. cta Resp. vocatur: alter privatum & proprium im- rantium emolumentum ſectans corrupta Respubl. di- ur *Ariſt. 3. Polit. 4. & 5.* (Quam diviſionem auſus eſt al- rare *Bodinus l. 2. c. 1. d. Rep.* ſed irrito conatu cum illam is ſufficienter vindicârint Piccartus *ad 3. Polit. c. 6.* Con- ıg. *diſſ. de Oligarch. th. 4.* contendentes diviſionem nc maximè perfectam eſſe & eſſentialem) ſequitur ex

 hac

hac Rerumpubl. diverſitate, diverſa etiam media eſſe Reſpubl. illas diverſas conſervandi, ut leges etiam malas dari ad conſervandas Reſp. malas tam certum ſit quam ſolem ſplendere cum ſudum eſt. Sunt enim leges media quibus Reſpub. inſtituuntur, conſervantur, augentur. Media autem ei, cujus ſunt media diſcordare, quis niſi fatuus aut ἄμυστος audeat negare, ut inde qualis eſt Reſp. tales debere eſſe leges ſit neceſſum.

XIX. Altera quam tractabimus quæſtio hæc eſt, an in omnibus Rebusp. eandem vim & poteſtatem obtineant leges? Hic ſiquidem Althuſium, Salomonium, Buchananum cum aſſeclis velis ſequi, mirum haud eſſet. ſi diverſam legis poteſtatem ſtatueres. Cum enim hi Monarchomachi immoto putent niti fundamento illud quod ſemper in ore habent axioma: MAJESTATEM PENES POPULUM ESSE RADICALITER, PRINCIPES OMNES ET OPTIMATES A POPULO ET PROPTER POPULUM ESSE ADMINISTRATIONE TANTUM ILLIS RELICTA; facilè quid illi tribuni plebis de propoſita ſentiant Quæſtione, apparet. Nempe in Republ. populari legis poteſtatem eſſe abſolutiorem majoremq́;, â cujus diſpoſitione nemini liceat ſecedere, niſi diſpenſationem faciat populus, in Monarchia autem & Oligarchia non aliter legem poſſe exſerere vim ſuam, niſi à populo accedat confirmatio, ut ita poteſtas legis in ſtatu populari conditæ longo intervallo poſt ſe relinquat illam illius, quæ in Monarchiâ fertur & Oligarchiâ.

XX. Verum quemadmodum fundamentum eorum utroq; claudicat pede, ita quæ exinde oriuntur dogmata ſuper ova & ariſtas videntur ambulare. Nos arcem rei aggrediemur, qua expugnata reliqua ſe ſua ſponte dedent.

XXI.

XXI. Notum eſt res omnes eſſe vel corporales
ncorporales, *pr. l. d. reb. corp. & incorp.* ac non minus
ncorporales quam corporales acquiri inq; dominio
poſſe *tot. tit. l. d. R. D. tit. d. Reb. corp.* ſub incorporali-
autem cum & jura humana & per conſequens jura
eſtatis & ipſa majeſtas quippe ex illis juribus conflata
quam totum quid contineatur, quo minùs & illa in
inio eſſe poſſint, nemo niſi cui illud axioma, QUOD
GENERE ETIAM DE SPECIE DICITUR, in co-
um eſt, negabit. Jam autem cur illa jura majeſta-
n dominio potiùs populi, quâm Monarchæ alicu-
ut optimatum eſſe debeant hactenus non capio neq;
pam porrigo prius, quam firmiſſimam & omni ex-
ione majorem differentiæ rationem reddant.

XXII. Verum enimverò, ſiquidem jura Majeſta-
n ſolo populi ſint Dominio quæro utrum plenum il-
m habeant dominium an minus plenum. Si minus
ium tantùm, quomodo quod ipſi non habent aliis
dicent? aut quis illorum plenum habet dominium?
lenum habent etiam illa alienare & in alterius ſive
is ſive plurium manus reſignare poterunt. Hoc
n jure fieri poteſt, etiam factum fuiſſe conſtat ex §. *6.*
t. N. G. & C.] & Conringius pluribus oſtendit *d. diſſ.*
n. Pot. ſub. Incaſſum renitentibus Althuſio *in præfat.*
t. Hœnonio *diſp. Polit. 3. n. 39.* Hotomanno *lib. de an-*
o jure Reg. Gall. c. 19. & 23. Ergò in aprico poſita jura
eſtatis non minus penes Monarcham & Optimates
m penes populum poſſe eſſe ſua ſponte ſequitur et-
LL. condendarum poteſtatem eo modo (cum par-
la ſint jurium Majeſtatis) ad eos poſſe pertinere &
quod in quæſtione erat, eandem in Monârchiâ, Oli-
chiâ & Polyarchia habere poteſtatem.

 XXIII.

XXIII. His ita expoſitis alteram aggredimur propoſiti partem videndo quomodo circa LL. homines ſint & debeant eſſe occupati: Et ſtatim notandum alios activè circa illas, alios paſſivè verſari. Cum enim omnis civilis ſocietas conſtet ex iis qui imperant & iis qui ſunt in imperio ſ. qui parent *Ariſt. 7. Polit. 14.* eos qui imperant patet activè circa LL. verſari, eos qui parent, paſſivè. De Imperantibus ergò priùs videbimus.

XXIV. Et in aprico quidem eſt pro legum varietate imperantes eorumq; conditionem quam maximè eſſe diverſam, diverſitatem tamen illam huic reſpectui ad LL. nullam ferè inducere variationem, ut melius videamur egiſſe ſi hanc LL. conſiderationem in Monarchia tantùm contemplemur, ex quo poſtea quis poterit facilè judicium ferre, quid de hac materia in reliquis reſp. ſentiendum & ſtatuendum.

XXV. Huic autem noſtræ quæſtioni ſatisfaciendo videndum, quot modis circa LL. humana verſari poſſit prudentia, quod quidem ex Legum naturâ optimè perſpectu eſt, quâq; contemplatâ illud incognitum eſſe vix poteſt. Cum enim LL. eundem in civitate obtineant locũ quem in homine virtutes fereq; coincidant, niſi quod illæ coercitionibus hæ perſuaſionibus nitantur. Facilè colliges ſine LL. nullam eſſe poſſe Rempubl. ſalvam, ſed ut homo abſq; virtute in humano corpore gerit ſimilitudinem quandam beſtiæ, ita civitatẽ ſine ordine & LL. conceptam nil niſi ſeditionẽ & turbas minitari certo eſt certiùs. Ut adeò neceſſe ſit LL. condat qui civitatis ſuæ ſtatum fixum velit eſſe & firmum. Et hic primus modus quomodo circa LL. humana verſatur prudentia.

XXVI. Quoniam verò *LL.* ſint Canon atq; Regula,

, ſecundum quam delicta puniuntur & æqualitas cives conſervatur, emergit ſecundus modus quo LL. humana prudentia verſatur, nempe ut ſecun- *LL.* latas jus reddatur.

XXVII. Verum nec hic ſubſiſtendum, ſed ecce am modum. Lex enim ſæpè nobis obſcura videtur; propter verborum ambiguitatem tum rationis quæ latorem movit, ignorantiam *l.20.ff.de LL.* ut neceſſe eſſe aliquem, qui *LL.* has obſcuras dextrè interpre- r.

XXIIX. Votis ſi hic locus daretur, optandum ſa- ſet, Principes eſſe tales, qui ipſi nullis nixi conſiliis ta ipſi poſſint peragere, qui negotia omnia ſive ſta- ive civium ſoli poſſint dirigere quiq; ipſi gerant onem negotiorum & regni ſceptrum. Sic enim pro- miniſtrorum potentiam ad quam aliquando vel ter merita vel ex aſtutia emergunt; Principibus nul- ſet angor; qui quantopere enervet & ſolicitet Prin- m animos, teſtis eſt Ferdinandus Arragonius, cum iniſtri ſui Conſalvi, virtus, fortuna & potentia eſſet cta uti dicit Silhon *au Min. d' Eſtat p.* 1. *l. 1. d.* 5. *&* *6.* n locum legitimorum ſucceſſorum ne miniſtri po- vel optimatum favore ſuffulti regnum invadant, non habet quod metuat. Cujus famoſa exempla er alia Hiſtoria & annales Gallici nobis monſtrant in derico (Hildericum Eginhardus vocat) quem Pi- us Pater Caroli M. & Carolo, quem Hugo Capetus no privarunt, ipſi ex Majoribus Domus (Galli Maire alais vocant) Reges facti: ſic enim propter electio- miniſtrorum magnoperè ſolicitus ſit non opus rincipi, vel propter malitiam imprudentiam & im- tiam miniſtrorum, odium in ſe ſubditorum conci- tet

ret æſtimationemvè ſuam perdat illi metuendum; qua in re eo cautiùs agendum, quo illa Machiavello omnibusq; prudentibus majoris eſt viſa momenti. Cum primam omniū quam dePrincipibus ducunt homines conjecturam ab iis potiſſimum capiunt quos circum illum verſari cognoſcunt, qui quidem ſi rerum periti & fide ſunt præditi prudens &ipſe exiſtimari poterit quod optimè noverit eos judicare fore viros idoneos potueritq; eos prudentes ſibi fideles & in officio retinere, ſecus autem ſi fuerit nunquam perperam de eo ſentient Machiavel. *in princ. c.22.*

XXIX. Verùm hic nil vota valent, nec eſt ut quis talem Principem ſperet millies licet optet, ſed cum res humanæ eo ſint loco, ut difficulter & non ſine magno diſpendio Reip. ab uno poſſint geri, ſuadendum potiùs Principi, ut aſciſcat qui laboribus Reip. cauſa exantlandis ei adſint & manus porrigunt, cum tantam imperii molem ab uno regi ſit impoſſibile auxilio & miniſterio indigere plusquam ſit notiſſimum. Solem hìc oculis ſubjiciant & imitandum Principes ſumant, quem ſolum omnia ſuo jubare poſſe huic mundo ſufficere palam eſt, & tamen ille pluribus ſideribus ſuam virtutem ſuumq; communicat lumen ut illa inſimul licet diſpari gradu & virtute naturæ adminiculentur, DEUS ipſe T.O.M. quo nihil eſt majus & ſine quo nihil eſt magnum licet omnia ſolus per ſe poſſit, non tamen omnia per ſe agit, ſed naturâ tanquam miniſtrâ & rerum cauſis ſecundis tanquam inſtrumentis decretorum ſuorum utitur ad conſervandum ordinem & ornatum univerſi uti dicit Marſelaer in legato *l. 1. d. 1.*

XXX. Quin ergò etiam Principes aſſumant & evehant qui in partem curæ & dignitatis veniant viros ſapien-

ꝑientes & expèrtæ virtutis, fide & autoritate inſtru-
os quorum ope & conſilio ſtatum tranquillum ſervet
licta pœnis, virtutes præmiis afficiat æqualitatemq́;
ter cives procuret· Abſit ſequatur & veſtigia premat
udovici XI. Galliæ Regis prudentia alias præſignis ut
lhon *au Min. d'Est. p. l. l. 1. d.* 12. eum prædicet intrica-
iſſima negotia & bella periculoſiſſima confeciſſe, ſed ſi-
e ſtrepitu ſine difficultatibus ſingularibus, in hoc ta-
men imprudente, quod gloriaretur ſibiq́; expedire pu-
taret ſe à ſuo equo cū omnibus conſiliariis ferri. Verùm
quantoperè per hoc régnum Galliæ detriverit, & quot
enormia vitia politica commiſerit norint illi, qui illius
temporis Hiſtoriam accuratius penſitaverunt, univer-
ſum mundum illud non latere dicit Silhon *d. p 1. l. 1. d. 12.*

XXXI. Prudentiam ſuam majori & digniori po-
ſteritatis admirationi & memoriæ reliquit Princeps ille
certè prudentiſſimus qui jam jam moriturus filio ſuo
commendans fidelem miniſtrum ſuum Eraſo dixit, ſe
illi afferre rem (miniſtrum intellige) magis pretio-
ſam & grandem ſuo ſtatu & coronâ quam jam jam eſſet
reſignaturus in manus illius (Filii) Silhon *au Min. d' Est. p. 1. l. 11 d. 1.* Et idem optimè perſpexit Philippus ille Ma-
cedonum Rex, qui cum aliquando ſolito diutiùs indul-
ſiſſet quieti expergefactus dixit ſecurè ſe dormiviſſe,
quia Antipater perfunctus eſſet pervigilio.

XXXII. Prudenter ergò hos ſequuntur Principes,
qui ſtatui ſuo & ſubditis bene volunt conſultum, cu-
ramq́; merito in eo ponunt magnam, ut miniſtri ſui,
quos oculos, aures & manus Principum non incommo-
do ſimili vocitamus, ſint tales quales bonum Reip. &
decus Principis poſtulat. His enim ſalutem tam Impe-
rantium quam Reipubl. ſtetiſſe, eorum culpâ omnis ca-

C lami-

ſamitatis ignominiam eſſe introductam liquet ilicò ſi à multis retroſeculis maximorum Imperiorum fortunam memoria repetamus.

XXXIII. Sed nobis non jam eſt animus Principibus & Regibus perſuadere & ob oculos ponere miniſtrorum neceſſitatem, utilitatem, præſtantiam, copiosè hoc præſtiterunt Lebleu *in ſua introd. ſut. conſil.. c.* 1. Silhon. *au Min d'Est. p. 1. l. 1. d. 1.* Conſeiller *d. Est.* ſparſim. Marſ. in legato *l.* 1. *d.* 1. Bœclerus *d. auſp. Reg. c.* 2. *n.* 23. *&* 24. Conring. *diſp. d. Majeſt. Imp. th. 22.*

XXXIV. Verùm cum LL. ſint primum ex quo omnia in Rep. agantur inchoentur & initium ſumant, ſint etiã ultimum ferè ad quod reſpiciamus ut veriſſimè dicat Bodinus *l.* 1. *d. Rep. c.* 10. Summum Reip. Imperium una re comprehenſum, ſcil. univerſis ac ſingulis civibus LL. dare, à civibus accipere nunquam, videbimus quomodo cum illis & Principi & Miniſtris ſit agendum, (ſolum enim Principem id efficere non poſſe nec debere jam jam dedimus probatum,) quomodoq; circa illas ſint occupati.

XXXV. Et diximus antè circa LL. tripliciter eſſe occupatos qui Reip. ſive dependenter ſive independenter præſunt, primò enim laborem in eo verſari quo LL. condant Reipubl. & ſtatui conformes, deinde ut ſecundum eas earumq; præſcriptum Jus reddant ſecundum Juſtitiam tam commutativam quam diſtributivam: Demum ut ſi qua in LL. obſcuritas cernatur ea explanetur. De ſingulis ſeorſim, & primo quiqdem *LL.* condendis ferendisq; quarum Poteſtatem quæq; illi ſint annexa ſi paulò altius repetierimus non videmur malè egiſſe.

XXXVI. Omnes in eo ferè conſentiunt ut *LL.* ferendarum poteſtatem ei attribuant penes quem ſunt

Maje-

Majeſtas omniaq; majeſtatis jura; in dubio nimirum innixi illi Philoſophorum axiomati: Partes illum habere omnes qui totum habet cum ſublata qualibet parte totum non maneat totum. Adeò ut Princeps ille ſive Rex ſive Reſp. majeſtatem non accuratè dicatur habere qui unica hac particula majeſtatis ſunt orbati.

XXXVII. Itidem inepti licet in oppoſita parte ſunt illi, qui *LL.* condendarum poteſtatem ex eo abjudicant illis qui majeſtatem habent majeſtatemq; ſine *LL.* condendarum poteſtate poſſe eſſe putent, quod in Rep. Romana antiqua videatur Auguſtus conſenſu ſenatorum *LL.* tuliſſe, imò ipſum Senatum Senatus conſultorum autorem extitiſſe, in quem tamen Populus omne Imperium ſuum & poteſtatem conceſſit ſæpius allegato *§. 6. I. d. l. N. G. &c.* nempe talem qualem ipſe ſe populus habebat, habebat autem pleniſſimam veramq. majeſtatem id quod hiſtoricorum ferè negat nemo. Verùm ut quod res eſt dicamus illa SenCTorum nomina, quæ in *LL.* ſæpe ſcripta videmus illæq; antiquæ appellationes & nomina immutata relicta, rem ipſam immutatam non potuerunt ſervare, ſed vel ad gratiam vel ad teſtificationem, vel ad pondus utilia videri poſſunt. Bodin. *lib. 1. de Rep. c. 10.* Erat enim Auguſti principatus novus, cui conſervando opus erat ſubtilioribus & minus in vulgum notis remediis conſiliisq; ut optimè monet Machiavell. *in Princ. c. 6.* Quod non ignorans Auguſtus vimq; principatus ſibi firmaturus imaginem antiquitatis Senatui præbuit ut ait de Tiberio Tacitus *3. Anal.* Videbat enim ſi Senatus approbatio ſaltem pro forma adhiberetur populum ſe habiturum longè obſequentiorem, quem uſus edoceat pareri potiùs legi multorum ſententiis in ſenatu agitatæ quam edicto ad unius aut

paucorum libidinem conflato. Autor Scripti adverſus Machiavellum de Reg. *l. 1. theorem. 1. p. 24.* Ut ille Senatus conſenſus in Auguſti *LL.* Senatui poteſtatem magis detraxerit quam dederit, Auguſti poteſtatem magis auxerit quam diminuerit. Imò certum eſt illa Senatus conſulta ex permiſſu tantum & conniventiâ valuiſſe Imperatoris.

XXIIX. Majus noſtræ aſſertioni injiceret dubium, quod in Lacedæmoniorum Rep. Lycurgum condidiſſe *LL.* nos Juſtinus *l. 3. c. 2. & 3.* doceat, quem tamen ibi Majeſtatem haud obtinuiſſe, ex eodem Juſtino *l. 2.* planum eſt, quando dicit *illum quamvis fratri ſuo Polybitæ Spartanorum Regi ſucceſſiſſet regnumq́; ſibi vindicare potuiſſet, tamen Charillo fratris filio, qui natus poſthumus fuerat, cum ad adultum ætatem perveniſſet, regnum ſumma fide reſtituiſſe.* Neq; eſt ut quis nodum ſe ſolviſſe putet replicando, Lycurgum *LL.* illas ſuas condidiſſe eo tempore, quo poſthumo illo regio adhuc regiis oneribus propter ætatem ferendis impare, ipſe regni gubernacula in manu habuit. Nam ille diu poſtquam Charillo regnum reſtituit, LL. tulit, poſt multa ſcil. itinera ad Minoem Cretæ Regem Legislatorem prudentiſſimum, in Aſiam & Ægyptum ad variarum gentium inſtituta moresq; perſpiciendos ſuſcepta & perfecta ut Ubbo Emmius teſtatur *de Rep: Lacon:* Accedit quod hoc conceſſo nihil tamen obtineamus, cum Regum poteſtas apud Lacones tam fuerit reſtricta, ut præter belli poteſtatem (quam quidem plenam & abſolutam habebant, ut quocunq; vellent arma deferre, illo qui contradiceret peculiaris criminis reo effecto teſte Herodoto) in reliquis nihil Rex potuerit eodem Emmio teſte *de Rep. Lacon: & Juſtin: l. 3. c. 3. n. 3.* Præterea neq; hîc illa ratio, quam in Auguſto adduximus quic-

quicquam faceſſere negotii poterit, nimirum, quod uti ille potentiam Senatus populiq́; in novo principatu veritus, multa ex conniventiâ permiſit, ita populum Spartanum dicamus potentiam Lycurgi metuentem LL. ab illo latis non auſum fuiſſe contradicere. Erat enim Lycurgus homo privatus nullis aut opibus aut potentiâ tremendus, quod plerunq́; illis accidit, qui doctrinæ ac virtuti ſummam navant operam, ut inde ſibi quod metuerent nihil habuerint Spartani. Et licet quis regerere poſſet, potentiam ejus inter cives non adeò fuiſſe exilem, cum regii ſanguinis, regis filius, regis frater, regis patruus eſſet, hisceq́; aut timore permotum populum *LL.* illius accepiſſe. Quod pernego, cum inſignis illius pietas probitasq́; quâ illum Juſtinus commendat illud ampliter confutent, quâq́; tam conſpicuus fuit, ut nec infimam plebis fæcem illa latere potuerit, dum plus apud eum pietatis jura quam opes valere oſtendit, quod in Regis poſthumi manus regnum quod in manibus habuit, reſignârit. Supereſt ergò dicamus & ſtatuamus, Lycurgum quidem *LL.* ſcripſiſſe Spartano populo, non tamen ut eatenus populum tenerent, quatenus à Lycurgo ſinr latæ, ſed quatenus à Senatu confirmatio acceſſit, cui cuſtodiam *LL.* fuiſſe datam, (Reſp. enim erat mixta) teſtatur Juſtinus *l. 3. c. 3. n. 2.* Longè enim diſſita ſunt ſcribere & præſcribere *LL.* (verba ſunt Conringii *d ſp. d. LL. th 6.*) ſeu ut explicatius dicam, Aliud eſt deligere aliquid & proponere, quod ſi ſanciatur Lex eſſe poſſit; Aliud jubere id ipſum, & autoritate ſuâ efficere ut lex ſit. Hoc voluntatis opus eſt illud intellectus. Hoc nemo poteſt præter eum qui ſummæ rei præeſt, illud etiam alii Majeſtatis minimè participes. v. g. Prudentes qui Principi Legem juſſuro à conſiliis ſunt. Magiſtratus item, quo-

rum in Rep. jus eſt leges ferre (propriè loquor & Romano more) populumq; rogare, velint jubeant id quod à ſeſe promulgatum eſſet valere. Ita etiam leges ſcripſerunt non præſcripſerunt Spartanis Lycurgus, Athenienſibus Solon, Romanis ſuis Romulus, Numa & cœteri qui in Rebusp. non Monarchicis *LL*latores audiunt. Hæc Conringius *d. l.* Eadem ferè habet Cellarius *2. Pol. c. 8. n. 6.*

XXXIX. Manet ergò immotum *LL* condendarum poteſtatem eſſe penes eum qui in Rep. Majeſtate gaudet, ſive ille unus ſit ſive plures in Rep. ſimplici. In mixta autem penes eum eosve qui illam vel diviſim habet, vel ſi omnes indiviſim habent. Hoc tamen cum dicimus non hoc volumus, qs. ille qui hac *LL* ferendarum poteſtate pollet, omnia per ſe tantùm, ſuoq; leges debeat conficere judicio, quod quanto cum Reip. periculo foret conjunctum apertiſſimum eſt. Verùm cautius & melius egerint Principes ſi Conſiliarios & Sapientes in conſilium vocent, eorumq; bonis monitis aurem præbeant. Qualiter egiſſe videmus Alexandrum Severum teſte Autore Scripti de Regno contra Machiavel. *l. 1. theor. 1. p. 25.* qui nullam legem conſtitutionemq; ſanxit, ſine viginti Juriſperitis, aliisq; doctiſſimis & ſapientiſſimis viris, ut non minus in conſilio eſſent ſententiæ quam Senatusconſultum conficerent. Ejusmodi etiam fuit Theodoſius Imperator qui ſanxit ne ulla nova lex promulgaretur niſi quæ ab omnibus anteà tam proceribus Cæſarei palatii, quàm à Patribus conſcriptis tractata eſſet, & tum univerſorum conſenſu tum Imperatoris autoritate firmata. Nec Miniſtri & Conſiliarii hic quæ ſui ſunt officii ſint immemores, ſed ſciant ſe tum demum Principi ſuo, ſtatui & conſcientiæ ſatisfacere ſi illam

quam

quam ſuſcipiunt partam benè ornent deſudentq; ne tam vir officio, quam officium viro detur.

XL. Et hoc quidem optimè exſequentur, ſi quæ ſunt Legislatoris officium & munus excoluerint, viderintq; quæ *LL* ferendarum ſit ac debeat eſſe ratio. In quâ quidem nobis viam videtur munire Autor Scripti de Regno contra Machiavallum *lib.3.Politià.theor: 22.p. 425.* quando de LL.Macedonibus devictis à populo Rom.datis dicit, *decem Legatis decretis id datum fuiſſe, ut Macedonum mores, ingenia, jura vetera inſpicerent, ſententiam exquirerent & ad ea LL. novas accommodarent.*

XLI. Cautè autem hic obſervandum Legislatori aliter eſſe agendum cum Rep. noviter inſtitutâ, aut inſtituendâ, aliter cum jam dum informatâ civitate; licet enim in utraq; illi maximè ſit reſpiciendum ad iſta duo ad formam reip. nimirum ſive inſtitutam ſive inſtituendam, & ad populi & civium mores, tamen in illâ magis populi morum, in hac magis Status Reip. habenda eſt ratio. Et populi quidem morum ideò accuratum habeat reſpectum, ut omnis rebellionis cauſa præcidatur, cui tamen anſam potiùs præberes, ſi moribus ex ingenio civium ſusq; deq; habitis, populum libertatis aſſvetum duris Monarchiæ LL. velis premere, aut populo ſervitutis aſſveto, ſibique conſulere propter judicii infirmitatem impotenti velis Reip. frena habenasq; concredere. Hinc ergò rectè Bodinus *l.5. de Rep. c.1. dicit illos, qui omnes omnibus populis LL. accommodare volunt Reſp. & imperia ſæpius evertere.*

XLII. Deinde & ſedulo illi qui LL. ferre ſubditis volet Reip. illius forma eſt intuenda, ejusq; ratio habenda cum non minus ineptum ſit in Regno LL. Ariſtocraticas vel Democraticas condere & contra, quam qui

ma-

magno coloſſo Pygmæi, vel Pumilioni caput ingentis Polyphemi aptare vellet, ut dicit Hippolitus à Collibus *d. Increm. urb. c. 23.*

XLIII. Huic poteſtati LL. condendarum annectimus 1. poteſtatem eas authenticè interpretandi, quam poſteà ubi ad LL. interpretationem deſcenderimus, videbimus. 2. eas immutandi & abrogandi, quâ tamen ne abutatur Princeps, ſed magnam hic prudentiam adhibeat monet Machiav. *in Princi. c. 6.* 3. Poteſtatem concedendi privilegia. Quam in Republ. ſimplici ei certè annectimus, (quominus autem idem in Rep. mixta ſtatuamus facit noſtra Reſp. Rom. Germ. in quâ poteſtatem LL condendarum ferè penes Comitia eſſe Privilegiorum autem condendorum ſoli Imperatori competere videmus. Lampadius *d. Rep. Rom. Germ. l. 3. c.* 14. & ex eo Conring. *d. d. Reg. th. 36.*

XLIV. In Republicâ Romanâ tempore Regum poteſtatem ferendarum Legum penes Reges fuiſſe nullus dubito, quia illi urbem Romanam ab initio habuere *Tacit.* l. *Annal.* 1. Poſt exactos Reges usq; ad tempora Cæſarum illam poteſtatem mirè quoad Subjectum variatam eſſe vero non eſt diſſimile. Omni enim eo, quod diximus, temp. Remp. Romanam fuiſſe mixtam ex Ariſtocratiâ & Democratiâ Autor eſt Clariſſimus Bœclerus *ad Tacit. l. 1. Annal. c.* 1. ita tamen ut interdum Populi, interdum Optimatum prævaluerit ordo, unoquoq; pro ſuo ſtatu non verbis modo ſed etiam armis militante. Unde haud abſonum eſt conjicere illam poteſtatem, modò penes Optimates fuiſſe, unde SENATUSCONSULTA; modò eam exercuiſſe Plebem, unde PLEBSICITA; modò utriq; ordini illam fuiſſe communem, unde SENATUS POTULIQUE DECRETA. Quicquid verò interceſſit

tem-

emporis quo Reſp. non videri poſſit mixta, illud non
d formam Reip. univerſam judicandam, ſed ad tem-
orarias & extraordinarias δυναστείας referri debere putat
Boeclerus d. l. Tempore Auguſti, quia ille cuncta diſ-
cordiis civilibus feſſa nomine Principis ſub imperium
ccepit *Tacit. 1. Ann. 1.* etiam poteſtatem ferendi Leges
lenam tum Imperatores ſunt conſecuti. Et hæc de Le-
gum condendarum poteſtate & facultate hactenus,

XLV. Cæterum illæ ſolæ finem ſuum ob quem
n Rebuspubl. feruntur minimè poterunt obtinere,
ropterea, quod illæ ſibimetipſis dirigendis planè non
ufficiunt. Eſt etenim de natura illarum rerum, quibus
rincipium internum alma mater negavit, ut ad aliud
eceſſe habeant confugere ſiquidem debitum & deſti-
atum finem ad quem aſſequendum nihil non tendere
docet nos Ariſtot. 1. *Pol.* 2. quando dicit: *Natura nihil fa-
cit fruſtra:* velint aſſequi. Accedant ergò alii, qui eas de-
ito fini noverint applicare, ſubditorumq; utilitatem &
Reip. emolumentum ita promovere. Quod duobus ef-
icietur modis, vel enim ſecundum illas ſtatum Reip. ad-
miniſtrant ſtatuiq; illas immediatè applicant, vel ſecun-
dùm eas actiones ſubditorum dirigere allaborant, cum
etiam ex earum habitudine ſive bonâ ſive malâ per con-
ſequentiam qs. & ipſe Reip. ſtatus aut in tranquillo eſt,
aut fluctuat.

XLVI. Unde illa enata eſt celebris LL. diſtinctio
n publicas & privatas & quæ exinde oritur juris in Publi-
cum & Privatum, §.4. *I. d. t. & l.* quarum illæ ad ipſum
Reip. ſtatum publicum & utilitatem publicam ſpectant
æ v. principaliter ad ſingulorum ſeu privatorum emo-
umentum pertinent. Qui autem illas LL. tam publicas
quam privatas adminiſtrant, ſunt quos IMPERANTES
diximus.

XLVII. Et *LL.* quidem Publicarum adminiſtratio, cum illæ arcana ſpectent imperii incognita eſt plerunq; , ejusq; cognitio abſtruſior & ſubtilior, quam ut à quocunque illa acquiri & addiſci aut poſſit aut debeat: Ideoq; de illâ hoc tamen dicimus, illam ſibi principem aut ſoli debere reſervare, aut admodum paucos eosq; electos conſiliorum publicorum participes facere. Silhon *au Min. d'Est. p.* 1. *l.* 1. *d.* 15. qui hanc materiam ibi optimè perſequitur, elegantiq; illuſtrat ſimili ab Unitatis numero deſumto. Quia enim illæ *LL.* ſtatum immediatè attingunt, neceſſum eſt, illas immediatum illi aut commodum aut damnum inferre, pro eorum qui illas adminiſtrant, diligentià & ſcientià, quæ ut in omni officiario requiruntur, ita hîc jure ſummo poſtulari paſſim Politici monent.

XLVIII. *L*egum privatarum major cuiq; competit & patet inſpectio cognitiove, quod error circa illas admiſſus Remp. non ita concutiat periculumq; minetur tam promptum, ideoq; quo illa cognitio pluribus competit, eo præ alterâ illâ pluribus eam perſequemur, videbimusq; quomodo ſecundum illas ſcil. *LL.* privatas tam juſtitia commutativa, quam diſtributiva adminiſtretur. Quod jus reddere, aut dicere & illam poteſtatem quæ circa id verſatur JURISDICTIONEM vocant. De quâ paucis, & quidem in theſi & in hypotheſi. Hoc eſt abſtrahemus Jurisdictionem ab omni Rep. in individuo conſideratâ, quoq; modo conſiderata illa omni Reip. competat. Deinde eam videbimus, quomodo ſe habeat in Rep. hâc vel illâ, & in ſpecie quidem in Rep. Rom. veteri. Et quidem primo in genere ſeu in Theſi. Proteſtamur hic in anteceſſum & dicimus, noſtrum eſſe ſi noſtræ diſputationi propoſitã methodum tantùm velimus perſe-

erſequi, de jurisdictione eatenus tantùm agere, qua-
enus illa ſecundum leges expeditur. Verùm cum illa
eneraliter conſiderata latiùs ſe extendat æquus Cenſor
obis ut ſpero haut vitio vertet ſi de eâ in generaliori ac-
eptione etiam agamus, cum unius perſpectio alterius
on parum facilitet cognitionem.

XLIX. Jurisdictio à jure & dicendò dicta, com-
lures ſignificationes induit quas apud varios varias vi-
e. Generaliores ſunt cum ſumitur 1. Generaliter, quo
nſu tàm criminalia complectitur, quàm civilia. 2. Spe-
aliter pro juris reddendi poteſtate in civilibus tantùm
pecuniariis, utraq; vel ſecundum præſcriptam Legem
vel non. De priori modo conſideratâ potiſſimum hîc
gemus definientes eam poteſtatem dicendi ſive red-
endi jus in civilibus & criminalibus negotiis.

L. Partes jurisdictionis ſeu poteſtatis jurisdicen-
ſunt tres, Cognitio facti, definitio juris de facto, & ju-
quod de facto redditur & pronunciatur exſecutio,
t enim actibus Jurisdictio expeditur in quâcunque
ep. Si enim aliqua res ſive ſive civilis ſive criminalis ad
dicium deferatur, illam omninò optimè inſpicere
ortet, quale ſit factum, cujusq; ſit generis, ut jus illud
od in Rep. in genere obtinet illi facto rectè queat ap-
icari; deinde ubi in factũ rectè fuerit inquiſitum, con-
tq; quale illud ſit, videndum quidnam de ejusmodi
ſu Leges loquantur aut conſvetudo loci ferat, aut in
rum defectu, quid in ſimili caſu ſit pronunciatum, &
undum illius tenorem de juſtitia & injuſtitia facti jus
dendum. Verùm nec hic ſubſiſtitur niſi fruſtra illos
us in judicio fieri dixeris ſed neceſſum eſt, ut illa à ju-
e prolata ſententia exſecutioni mandetur.

LI. Cum porrò omnia judicia aut diſtrahenda-

rum controverſiarum aut puniendorum maleficiorum cauſa reperta ſunt, ut in iis jus ſuum privati conſeqvantur, vel injuriam ulciſcendo, vel quod ſibi injuſtè deerat repetendo factum eſt ut in duas jurisdictio abierit ſpecies, quarum altera controverſias inter cives componat, civilis vocata, altera criminalis dicta in maleficiis puniendis tota occupata. Atq; hanc jurisdictionis diſtinctionem firmo inniti fundamini, firma ratione ſuſtinebo, qui enim illam ſubvertere conantur, eò quod in *LL.* Rom. aliter eam accipi videant, jurisdictionis naturam ex prætoris alteriusq; magiſtratus officio dimetientes, oſtendunt quàm non intelligant jurisdictionis naturam, quamq; in argumentando ſuam prodant ineptitudinem cum nunquam bonâ formâ argumentandi utatur, qui ab individuo ad ſpeciem, & à ſpecie ad genus velit univerſaliter argumentari. Hoc interim indubitatò aſſerimus, jurisdictionis vocem etiam Romanæ linguæ Autores claſſicos ad criminalia extendiſſe, ut patet ex Sveton. in Auguſto: Et absq; eo ſit, vis vocis ut ita accipiamus ſuadet, recteq; Jurisdictionem in criminalem & civilem partimur, partitione ab objecto deſumtâ, quod ut diſciplinas theoreticas ſpecie facit differre, quidni etiam jurisdictionem?

LII. Jurisdictionem criminalem definimus poteſtatem animadvertendi in facinoroſos. Genus ponimus Poteſtatem, ut effugiamus Jaſonis objectiones, quas Ulpiano merum imperium definienti objicit eo quòd generis in ſuâ definione ſit oblitus quem tamen vindicat Sutholtus *diſp. d. Jurisd. th. 392.* Addimus in definitione ANIMADVERTENDI ut illam à Jurisdictione Civili ſegregemus in qua animadverſio principaliter non habet locum, ſed tantùm per accidens & propter aliud.

Præ-

Præterea notandum ANIMADVERSIONEM, in hac definitione non ultimam Jurisdictionis partem ſive actum np. exſecutionẽ tantùm denotare, ſed omnes tres partes comprehendere facti cognitionem, de facto cognito juris pronunciationem & tandem juris redditi exſecutionem. Quia v. *l. 37. ff. d. R. J.* & *l. 3 d. re judic.* qui damnare poteſt abſolvendi etiã habet poteſtatem, quo minus & abſolutionem huic voci includamus non videmus, cum condemnatio ſit ſecundus ille jurisdictionis actus. Additur demum IN FACINOROSOS HOMINES: ut oſtendatur hominem eſſe objectum Jurisdictionis criminalis & exerceri illam in illos ſolos. Cum enim ejus officium in præfiniendis pœnis totum ſit occupatum pœnam a. nihil mereatur niſi quod injuſtũ eſt ſpontè ſequitur in ſolum hominem eam exerceri, cum ille ſolus juſtas & injuſtas actiones edere posſit, utpote ſolus rationis (à quâ omnem juſtitiam injuſtitiamq; metimur) particeps. Unde in ſolos qui rationem habent jurisdictionem exercemus, amandantes hinc ſenſu tantùm prædita multò magis illa quæ ſenſu etiam ſunt deſtituta.

LIII. Verùm huic noſtræ aſſertioni tam divinæ quàm profanæ obloqui literæ videntur, ac iis pro evertendâ hâc noſtrâ non pauci utuntur. Verùm ſiquidem illi rationem in conſilium vocaverint quin ad noſtra caſtra tranſeant nulli dubitamus. Et unicum hoc quod multa tam à Deo, quam ab illo qui majeſtatem habet ſive ille Deus ſive homo ſit poſſint conſtitui in ſignum abominationis & deteſtatiois, quâ quisq; illa ſcelera debeat proſequi, ſatis illos poterit refellere. Hinc nihil nobis officit quod *Joſuæ c. 7. v. 25.* cum Achane tentorium & quæ in illo erant comburebantur, nec quod ædes illo-

rum quæ principibus manus intulerunt ſolo æquentur, ipſo ſolo ſale conſperſo, fit n. hoc propterea ut magnitudo ſcelerũ oſtendatur. Quæ porrò *ex Gen.11.v.5. Exod, 21. v.18. Levit.22.v.15.* adducunt exempla non moramur, cum jam data reſponſio illos facilè valeat ſtringere.

LIV. Unicum eſt quod negotium nobis videtur faceſſere nimirum *l.1* § 11.*ff.Si quadrup. paup.* in quâ proponitur quæſtio de duobus arietibus committentibus alteroq; alterum occidente, an arietis occiſi Dominus adverſus interficientis Dominum poſſit actionem inſtituere, reſpondet Q. Mutius diſtinguendo: ut ſiquidem is periiſſet qui aggreſſus erat ceſſare actionem, ſi is qui non provocaverat competere actionem. Ex qua L. contraſentientes, ſi illos audias concluderent, Deciſionem hanc ad pœnam bruti pertinere. Verùm nos rectiùs dixiſſe cum Conringio *diſp. de jure th.21* videmur, Non hoc ad bruti pœnam pertinere, ſed ad Dominum cujus eſt damnum à ſuis factum reſarcire. Nec juvat Antagoniſtas ſi dicunt hoc pacto Q. Mutium fruſtrà diſtinxiſſe, cum hac ratione ſtante etiam aggreſſi arietis dominus ſi alterum occiderit debeat damnum præſtare; reſponſi det enim Conringius. Non propriè damno afficere illum dici cujus quadrupes ſe defendens alterum occidit, ſed is cujus aries provocans occidit provocatum.

LV. In criminali jurisdictione, nullæ ſunt quæ alicujus ſint momenti differentiæ. In nunc tractanda civili, quam poteſtatem dicendi juris in cilibus negotiis privatisq; civium dicimus multæ ſunt. Vel enim uni jus dicitur vel Pluribus quæ prima & univerſalis eſt diviſio jurisdictionis: Si pluribus redditur jus, iterum in duo illa abit membra vel enim duobus litigantibus, vel non litigantibus jus dicitur quarum illa contentioſa hæc voluntaria dicitur jurisdictio eſſe.

LV'.

LVI. Quoniam autem prout eſt debilis acciden-
ium natura jurisdictioné alteri ineſſe ſit neceſſum: cum
mnibus ſanioribus ei eam tribuimus penes quem eſt
Iajeſtas, ſeu ſumma in civitate poteſtas. Etenim & le-
es ferendi & ſecundum illas pronunciandi poteſtas ei-
em finī deſtinantur, quid ergò & eidē ſubjecto utramq;
neſſe dubitamus. Et poteſtatem Legem condendarum
ſſe Majeſtati propriam ex dictis *th. 39. & ſeqq.* apertum
ſt. Quia enim LL. potiſſimum in civitate imperatur,
uippe quæ certam ſingulis præſcribant vivendi ratio-
em contumacesq; pœnis & ſuppliciis deſtinant, eas in
nanu ſummi Principi conſiſtere neceſſum eſt, alioquin
ullam vim habituras, niſi autoritate munirentur illius
ui plenitudinem Imperii poſſidet. *Conring. diſſ. d. Reg.*
b. 35. Si verò Jurisdictionem Majeſtati ineſſe negares,
amq; illi aſſcriberes, qui illa eſt inferior abſurditatem
: infantiam proderes rem tanti momenti illi concrede-
e de cujus fide in Remp. certus eſſe haud poſſis.

LVII. Nec aſſertionem noſtram infringit, quod
uris interpretes Jurisdictionem adeò Magiſtratibus fa-
iant propriam ut eam penitus illi penes quem eſt Maje-
as abjudicent: cum illa quæ afferunt fundamenta o-
nnia ex jure civili Rom. ſint deſumta, nihil inde nobis
ocitura cum Remp. tantùm Rom. attingant. Prætereà
ntùm intelligunt illi jurisdictioné in ſpecie ita dictam,
uæ quia tantùm pertinet ad negotia civilia illa autem
nnumera & leviuscula ſummam Majeſtatem majoribus
eip. negotiis implicatam diſtringere & à curâ Reipubl.
bducere, ſtrepitusq; forenſes quotidiè Majeſtatis aures
erſonare, neq; è re eſſe Reip. neq; è dignitate Principis
xiſtimavere. Memores nimirum moleſtiarum quas
laudius Imperator quōd ipſe juridicendo adeſſet, ex-
per-

pertus, cujus meminit Svetonius in Claudio. Facit etiam huc quod de Friderico I. Güntherus *l. 8.* canit. Nec tamen illa Majeſtatem penitus privare ſine abſurditate poterit quis. Vides n. argumentum illorum cui ſuũ dogma ſuperſtruunt ab accidenti eſſe deſumtum nimirum ſi negotia publica in eam excreverint multitudinem (quod non ſemper neceſſe eſt fieri, ſed pro ſtatu & conditione Reip. contingens eſt) ut privatis civium actionibus vacare nequeat Princeps, aut ſiquidem etiam harum tanta fiat copia, ut eas Princeps ſolus nequeat decidere. Neq; etiam in Rep. Rom. perpetuum fuiſſe, ut jurisdictionẽ tantùm Magiſtratus haberet non ille penes quem majeſtas apertè nos docet Cicero *l. 3. d. LL.* Regio, inquit, imperio duo ſunto, iiq; præeundo, judicando, conſulendo, Prætores, Judices, Conſules appellantur, militiæ ſummum jus habento nemini parento illis ſalus populi extrema lex eſto. Ex quibus verbis patet judicandi poteſtatem revera Conſulum (quos Majeſtatem habuiſſe hic ipſe locus docet) fuiſſe.

LVIII. Scio quid diſſentientes ulterius opponant, np. Magiſtratum eſſe inſtrumentum Majeſtatis, Magiſtratum autem habere exercitium jurisdictionis; unde ſi etiam Princeps jus dicat, Majeſtas diceretur ſui ipſius inſtrumentum. Utitur hoc argumento Sutholt. *diſp. d. Jurisd. th. 182.* quem qui excuſare voluerint, quod non in genere ſed tantùm de Republ. Rom. loquatur, falluntur, cum generali ratione utatur licet eam accommodet ſuo propoſito inſerviens, Reip. Romanæ. Tum allegat etiam inibi & affert autoritatem Ariſtotelis, quem tamen non de Rep. ſive Romanâ ſive aliâ in individuo ſuos conſcripſiſſe libros, ſed de Rebusp. in genere, ſolicitum fuiſſe cuivis qui Philoſophi officium non ignorat apertum eſt.

LIX.

LIX. Sed quò melius quod volumus obtineamus vimq; Argumenti Sutholtiani quod in data theſi latet, penitius inſpiciamus ipſum Syllogiſmum qui talis eſſe poteſt proponimus. Quæcunq; exercet Magiſtratus illa non poſſunt eſſe partes Majeſtatis. Atqui jurisdictionem exercet Magiſtratus. Ergò non poteſt pertinere ad partes Majeſtatis. Majorem probat eadem th. quando dicit: Nemo autem dicitur ſine magnâ abſurditate ſui ipſius inſtrumentum. Unde tale oritur argumentum. Cauſa Principalis & Inſtrumentalis, in eodem objecto non poſſunt coincidere ſeu unum idemq; eſſe, Atq; Majeſtas Magiſtratus ſunt cauſa Principalis & Inſtrumentalis E. Majeſtas & Magiſtratus non poſſunt in eodem objecto coincidere ſeu unum idemq; eſſe. Minorem Sutholt non probat, cum exemplum unicum ex Rom. Rep. petitum ei ſufficere poſſe ſine dubio exiſtimarit.

LX. Verùm nos Majorem limitamus, atq; ita Syllogiſmum formamus. Quæcunq; Magiſtratus, peculiari quodam modo ſibi proprio, & in tantum in quantum eſt Magiſtratus agit, illa, illo modo non poteſt peragere Majeſtas. Atqui jurisdictionem peculiari quodam modo exercet Magiſtratus. E. Majeſtas illo modo jurisdictionem non poteſt exercere, licet alio poſſit. Et ſic argumentum nobis nihil officit. Majeſtas enim quando judicat non eo modo quo Magiſtratus id ipſum peragit, ſed peculiari planeq; diverſo, & hoc modo non poteſt dici ſui ipſius inſtrumentum, cum longè aliter agat quam Magiſtratus qui dicitur eſſe inſtrumentum.

LXI. Ut verò illud planius fiat, videamusq; differentiam quæ intercedit exercitiũ jurisdictionis quod à Majeſtate & quod à Magiſtratu proficiſcitur age rem altius ex principiis repetemus.

LXII. Notum eſt omnia jura Majeſtatis eſſe talia ut Reip. commodo & conſervationi non niſi nata exiſtimanda ſint, quæq; ritè diſpoſita & ordinata Remp. non poſſint non ab omnibus mutationibus tam internis quàm externis ſartam tectam ſervare, id quod unicuiq; illa penitus inſpicienti, videre haud obſcurum fuerit. Quænā & quot illa ſint dicit Ariſtotel. 4. *Pol. 14.* & exquiſitè Grotius *d. I. P. & B. l.* 1. *c. 3.* §. *6.* Unde ſingulari prudentiâ, & divinâ (hominibus ſemper benevolente) providentiâ factum, ut illa illi concredenda non alteri ratifuerint prudentes illi viri, qui primos homines hac communione vitæ (civilem puta) conjunxerunt, qui ea quam optimè noverit moderari. Quod quidem de illo qui Majeſtatem habet omnium maximè præſumitur.

LXIII. Cum enim duobus hisce modis occupatione & electione (ex quibus poſtea ſucceſſio nata) omnia olim fuerint imperia orta improvidum ſe planè gereret, ſi tantam rem tamq; arduam ſibi aut ipſe ſumeret aut delatam acceptaret, cui gerendæ ſe ſciret aut ſaltem putaret imparem. Sive autem ea ſit indoles populi, ut totius univerſitatis humeris hanc impònere è re eſſe credant, aut paucis aut uni eam committendam ſatius ducant, nihil intereſt; ſive quod idem eſt, Majeſtatem univerſitas aut pauci aut unus optimè ſe tenere videantur, & ita ad ſe trahant. Errorem etiam an aliquem an nullum, an magnum an vilem in hâc Majeſtatis diſtributione committant hujus paginæ haud eſt disquirere: nec ad rem pertinet niſi cum quibusdam tribunis plebis illum errare velis errorem omnem Remp. debere communem omnium ſalutem reſpicere, & injuſtam eſſe quæ privatum imperantium ſpectat emolumeutum. Verùm hi non Ariſtoteli tantùm, verùm ipſi etiam rationi adverſantur.

LXIV.

LXIV. Inter illa Majeſtatis jura jurisdictionem non infimum obtinere locum præter locos celebrium virorum allegatos perſvadet, quod illa non minori commodo Reip. adſit, & ab eâ non ſine minori damno abſit quam alia, quæ diximus & probavimus Majeſtati eſſe committenda. Quid? quod juſtitiam quam circa Jurisdictio verſatur cum Religione utramq; paginam facere, & præ omnibus Remp. juvare expeditum ſit.

LXV. Dicimus ergò Jurisdictionem reverà penes eum eſſe, penes quem eſt Majeſtas ſive ſumma in Civitate poteſtas: exercitium tamen ejus tam Magiſtratum, quâm Majeſtatem ſine abſurditate poſſe habere; & Majeſtatem quando jus dicit aut judicat, nullo modo per hoc eſſe aut dici poſſe ſui ipſius inſtrumentum. Quando enim concedimus Majeſtatem eſſe causam jurisdictionis Principalem, Magiſtratum verò Inſtrumentalem, videamusq; Majeſtatem interdum ipſam jurisdictionem exercere, non per hoc Majeſtatis & Magiſtratus actiones circa rem eandem ſuſceptas confundimus, ſed eſſe manereq; diſtinctas aſſerimus:

LXV. Quod quidem ex definitione Cauſa Principalis & Inſtrumentalis, cuiq; eas inſpicienti patebit. Cum enim Cauſa Principalis ſit quæ influit in effectum virtute non ignobiliori, quam ad illum producendum requiritur: Inſtrumentalis autem influat in effectum virtute ignobilore, haudq; ſufficienti, opusq; habeat ut à principali elevetur, Majeſtatem dicimus judicare, ſive jurisdictionem exercere, virtute non ignobiliore, quam ad expediendum requiritur. Sufficiens autem illa virtus ad expediendam Jurisdictionem eſt, quando quodcunq; de facto pronunciatur, illi quiq; tenetur ſtare, ideò quia hoc modo eſt pronunciatum, non quod LL.

 ſit

ſit conſentaneum,ſed quia ita plaictum fuerit illi,qui jus dicit. Non enim neceſſariò requiritur ad jurisdictionem (ſi in genere eam velis accipere etiam *thſe.* 47. dictum) ut ſecundum LL. jus reddatur, ſed ſufficit ita fuiſſe pronunciatum in hoc vel illo caſu.

LXVII. Magiſtratus contra judicans de facto aliquo id ipſum expedit virtute ignobiliore, quam ad effectum producendum requiritur. Sententia enim ejus non valet, ideò quia ipſe illam ita pronunciavit, ſed quia ſecundum Legum tenorem, aut ex earum ſententia eſt lata, legum autem poteſtas quia eſt in manu Majeſtatis, apparet ſententiam quam ſecundum eas protulit Magiſtratus eò valere quod illa voluntati Majeſtatis videatur congrua. Quæ certè virtus ignoblior eſt quam ad producendum effectum np. ſententiam requiritur. Ut inde inferamus Majeſtatem jura dicentem reverà ſui ipſius eſſe inſtrumentum, ſi eodem modo quo Magiſtratus illud ipſum peragat, nullatenus autem de illâ hoc dici poſſe cum longè aliâ procedat viã.

LXVIII. Ad jurisdictionem in hypotheſi deſcendemus videbimusq; qualis illa ſit ſecundum jus noſtrum Romanum, qualisq; illa fuerit in Rep. Rom. veteri: Et quamvis antè ſit dictum illud vocabulum tantùm pro cognitione rerum civilium ex uſu LL. Romanarum ſumi communiorem eſſe ſententiam, tamen quid impedit, quominus nos illam, ſcopo noſtro inſervientes, ut antè generaliter accipiamus. Quia autem tam Civilis quam Criminalis Jurisdictio, in Rep. Rom. fuit, utpote ſine quibus nulla eſſe Reſp. queat, penes quem utraque fuerit noſtrum eſt inquirere, cæteris tanquam generalioribus, inq; quaq; Rep. eundem uſum eandemq; formam obtinentibus ex ſuperioribus petendis.

LXIX.

LXIX. Ut ergò ante, dicimus Jurisdictionem, ut in omni Rep. ita in hac Rom. ſemper fuiſſe penes Majeſtatem in actu primo, quoad actum ſecundum a. modò illam aliis commiſiſſe, modò ipſam ſibi reſervaſſe i. e. Ipſam Jurisdicendi poteſtatem ſemper Majeſtatem tenuiſſe, exercuiſſe autem eam vel ipſam, vel aliis interdum eam exercendam concredidiſſe, & quidem hoc vel ſpecialiter vel nomine Magiſtratus pro illius qui Majeſtatem habuit placito ſive expreſſo ſive tacito.

LXX. Res Criminales quod attinet. Ejus exercitium ſive poteſtatem animadvertendi in facinoroſos homines tam primo quam ſecundo actu ſibi Majeſtas ſervavit fere propriam, ut aut ipſa de facinore ſententiam tulerit, aut alium ſive Privatum ſive Magiſtretum conſtitueret, qui de hac re non jure Magiſtratus ſed ſpecialiter ſibi conceſſa poteſtate cognoſceret, ſententiamq; ferret & exſequeretur. Sub nomine Magiſtratus autem nulli unquam exercitium hoc eſt commiſſum, vel quia arduæ eſſent illa cauſæ vitam hominis concernentes, adeò non cuivis poteſtati permittendæ, vel quia in iis non tam privatorum quàm Reip. cauſâ ageretur, cum delicta publica non tam privatum hominem quàm Remp. lædant & offendant, ut loquitur Sutholt *d. Jurisd. theſ. 59.* Et hæc poteſtas eſt Jurisdictio criminalis, in Rep. Romanâ dicebatur ab initio Quæſtio, poſteà Merum Imperium. Quod autem quidam eam jure Magiſtratus competere cœpiſſe exemplo præſidis provinciæ & præfecti exiſtimant, id ipſum optimè confutat Sutholt *dictâ diſſ. th. 384. & 385.*

LXXI. Circa Civiles res aliter judicandi ſeſe habuit ratio, cum enim illæ non unius ſint modi, ita alius atq; alius in iis jus dixit. Nec enim exiſtimandum omnia civilia negotia fuiſſe Magiſtratum moderatum. Cum quibusdam enim ita erat agendum ut in iis Magiſtratus

 Juris-

Juriſdictionem exercuerit in quantum erat Magiſtratus. Quod hanc habet ſignificationem, poteſtatem illam juriſdicendi in abſtracto eſſe conſiderandam, ita ut ſubjecto ſpeciei communi non individuo exiſtentiæ aſſignata cenſeatur, ut dicit Lampad. *de Rep. Rom. Germ. p.3.c.15. n.30.* v.g. Si hæc vel illa poteſtas Præturæ potius quàm huic vel illi Prætori data videatur, ut liceat dicere. Omnis Prætor hanc habet poteſtatem, Et hæc eſt illa poteſtas quam juriſdictionem dicunt, cui ſemper ineſt Imperium Mixtum.

LXXII. Aliter autem erat comparatum cum negotiis civilibus illis quæ non jure Magiſtratus tribuebantur; Illa enim ſibi reſervârat Majeſtas (loquimur hic ſemper de exercitio) committebatque illa non jure Magiſtratus ſed ſpecialiter cui volebat, quod Lege in jure noſtro dicitur fieri. Perſonæ enim individuæ committi intelligitur, non eâ ratione quâ Prætor aliusve Magiſtratus ſed quâ perſonæ diligentiæ intelligitur, & hinc quia non diligentiæ ratio ſed officiũ ſeu prætura ad ſucceſſionem tranſit, fit ut non omnibus eodem Magiſtratu fungentibus eadem ſemper Lege dentur Lampad. *d. l.* Et hoc juris reddendi exercitium juriſdictionis nomine non veniebat, poſſe tamen illud appellari juriſdictionem Extraordinariam, Legalem ſeu Adventitiam ſe non repugnare dicit Sutholt *d. d. Juriſd. th. 127.* qui ita duplicem facit Juriſdictionem, Ordinariam, quæ res illas, quæ jure Magiſtratus competunt complectitur, & Extraordinariam, quæ cæteras res civiles ſpecialiter tributas. Et ſunt iterum ſive puræ ut cuiq; Magiſtratui ſpecialiter deferantur, ſive Mixtæ quibusdam Jure Magiſtratus, quibusdam ſpecialiter competentes. Hæc de Juriſdictione.

LXXIII.

LXXIII. Quo modo jus reddatur, ſive id fiat ſecundum normam præſcriptam, ſeu Leges, ſive non, & ſi ſecundum Leges fiat (quod noſtrarum potiſſimum fuit partiũ exponere) an ſpontè an coactè ſequamur Legum diſpoſitionem vidimus hactenus. Poſſemus jam arbitrari nos jam defunctos eſſe noſtro munere, noſtroq; propoſito ſatisfeciſſe, cum earum & originem & uſum monſtraverimus. Et verò non fruſtranea foret hæc noſtra opinio, ſi tantam in Practicis (ad quas hanc LL. noſtram diſputationem referimus. Sunt enim LL. opera Civilis facultatis *Ariſtot. 10. Eth. 9.*) quantam vel in Matheſi, vel in aliis diſciplinis ſpeculativis deprehendimus certitudinem, haberemus. Sic enim adventus circumſtantiarum nec rem ipſam mutare poſſet, nec ullum in LL. occurreret vitium, quod nobis negotiùm aliquod (niſi quod verba etiam aliquando obſcuritatem pariant) faceſſeret, ſed nihil eſſet facilius, quam factoLegem applicare, & ita jus reddere.

LXXIV. Verum enim verò, cum noſtro intellectu ita eſt comparatum, ut de quibusdam poſſit aliquid verum dicere in Univerſali, ut in neceſſariis, in quibus non poteſt defectus accidere: de quibusdam verò impoſſibile eſt, ut dicat quid verum in univerſali, ut de contingentibus, de quibus etſi aliquid verum ſit in pluribus, in paucioribus tamen deficit, ut ſunt facta humana de quibus *LL.* feruntur, ut dicit Thomas *ad 5. Eth. 10.* Et hanc certitudinis differentiam parit diverſitas illa quæ ſubjectum Practicarum & ſpeculativarum diſciplinarum intercedit,

LXXV. Subjecta enim ſpeculativarum diſciplinarum, cum ſint æterna, immutabilia, quo minus etiam illa æternas & immotas habeant affectiones nullum eſt dubium.

dubium. Ex his ſi poſteà æterna & indubia axiomata formes, quod facillimum, quid ni omni exceptione majorem in iis tibi certitudinem promitteres. Cum juſtæ amuſſi ſi ferrum conformes, illud amuſſitatum eſſe, queas jurare.

LXXVI. Aliter longè comparatum eſt cum actionibus humanis (utpotè ſubjecto diſciplinarum Practicarum) in illis enim qui prædictam certitudinem quærit, licet nocturnos diurnis adjungat labores, næ faciet quærendo ut nihil quærat, nihil inveniat. Ita namq; inſtabilia ſunt, & mutabilia illa, quorum principium tantâ laborat imbecillitate, qualiter & ad quorum genium ſe habent illa, quæ ex illis ſunt & ortum ducunt, cum omnis natura ejusdem eſſentiæ ſit procreatrix, atq; ipſa eſt Ariſt. *1. M. M. c.* 11. Quia ergò voluntas & conſilium ſunt illa, quæ actiones humanas producunt, ipſa autem in ſuâ inconſtantiâ tantùm perſtent eadem de actionibus humanis aſſerimus. De his autem non de aliis rebus Leges ſunt ferendæ, imò illæ ſunt ipſa Legum materia.

LXXVII. Conſtat inde axiomata ſeu Leges quæ de illis feruntur, omnes eſſe contingentes, neq; ullam Legem poſitivam tàm benè ſcriptam eſſe, quæ non ad minimum in uno atq; altero patiatur exceptionem & limitationem.

LXXVIII. Hinc adeò patet Legum condendarum poteſtatem, & ſecundum eas juris redditionem, Legum accuratam cognitionem non abſolvere, ſed requiri præterea aliam & diſtinctam ab his prudentiam, quæ obſcuritates quæ in Legibus deprehenduntur, & à quibus non quælibet rectè poſita Lex poteſt eſſe immunis, dextrè ſciat inde amovere. Hæc prudentia vocatur INTERPRETATORIA.

LXXIX.

LXXIX. Ut autem conſtet quænam obſcuritates iſtas pariant, ſciendum eſt illas oriri, vel à parte *Legislatoris*, vel à parte ipſius *Legis*. Quod *Legislatorem* attinet, utique conſtat de re incertâ & contingenti, ſi quis quid univerſaliter pronunciet, ſive id affirmando ſive negando fiat, non poſſe non dubium reddere legentem. Videt enim Univerſale illud pronunciatum continere ejusmodi aſſertionem, cujus contrarium in ipsâ rei utpote incertæ & contingentis materiâ facilè latere poſſit. Sic ſi quis velit dicere de omni ſtudioſo, quod ſit doctus, non poteſt non audientem iſta dubium facere, videt n. multos quos incultus animus & pudenda ſæpius ignorantia numero eximit doctorum. Quid ergò impoſſibilius eſt quam de ejusmodi contingentibus rebus, nullâ adhibitâ circumſtantiâ aliquid in univerſali dicere velle, omnes autem circumſtantias alicui rei addere velle, etiam perſpicaciſſimo eſt impoſſibile.

LXXX. Hoc profectò modo comparatum eſt cum *Legislatore* noſtro, qui *Legem* fert de actionibus humanis, illæ autem contingentes ſunt ac proinde mutabiles & incertæ, uti probavimus. Debet autem *Legislator* *Legem* ſuam univerſaliter, ſeu per enunciationem univerſalem efferre, niſi illam velit eſſe eluſoriam. Cum enim *Lex* omnis proptereà feratur, ut cives ſecundum ejus præſcriptum actiones inſtituant, hæc enim eſt voluntas *Legislatoris*, ſanè univerſaliter illa debet concipi, cum particulariter illâ conceptâ quilibet poterat dubitare, num ejus obligatione etiam comprehenderetur, ad veritatem enim particularis pronunciati vel unicum individuum ſufficere poteſt; quo poſito reliqui haud certi erunt, quisnam comprehenſus ſit, num ſcilicet hic vel alius eo contineatur: & ſic nemo ſecundum illam

operari poterit. Quod cum ſit, ceſſat finis *Legis* & *Legislatoris* voluntas, ut eleganter hæc habet Dominus Eichel *diſſ. d. Interp. LL. p. 1. c. 7. n. 2.*

LXXXI. Hæc profectò inſignis eſt obſcuritas, quæ legibus à parte *Legislatoris* adhæret, adeò ut propter eam ſolam INTERPRES LEGUM poſtulari queat. Verùm quæ à parte *Legum* oriuntur difficultates, non ſunt minores ſi non majores.

LXXXII. A parte Legum duæ oriuntur obſcuritates, alteram ipſa legum materia, alteram voces cauſantur. Quod priorem attinet illa ex jam dictis non poteſt cuivis innoteſcere, Cum enim (ut verbis Sutholti utar) *Leges* ferantur de actionibus humanis, quas leviſſima quæque circumſtantia immutat, confieri nequit, ut lex ita ſcribatur, quin in particulari perſæpè deficiat. Et hoc vitium non in *Legislatore* eſt, ſed in ipſa naturâ operis ut dicit Ariſtoteles *5. Eth. 10.*

LXXXIII. Altera, quam voces efficiunt, obſcuritas, vel eſt in vocibus ſimpliciter & abſolutè conſideratis, vel in earum connexione. Quæ obſcuritas profectò ſatis etiam magna eſt, multosq; impeditos tenet, ut qui verborum ſenſum non ſtatim aſſequi poteſt, propterea infantiæ non ſit incuſandus. Non enim poſſumus eo abſurditatis procedere, ut alicui de obſcuritate *Legum* noſtrarum conquerenti, id reſponſi demus, quod Sextum Cæcilium virum in diſciplinâ Juris, atque *Legibus* populi Romani pernoſcendis, interpretandisq; ſcientiâ uſu autoritateq; illuſtrem, Favorino Philoſopho in *LL.* 12. Tabb. obſcuritates quasdam animadvertenti, olim dediſſe Gellius *l. 20. c. 1. N. A.* refert. nempe obſcuritates non eſſe aſſignandas culpæ ſcribentium, ſed inſcientiæ non aſſequentium. Enimverò quamvis non diffiteamur

mul-

multa Leges noſtras continere plana & obvia, quæ nihilominus quibusdam aut propter ingenii hebetudinem, aut raram eruditionẽ nullis non tricis involuta videntur, attamen id de omnibus quæ in jure noſtro continentur affirmare velle æquo minorem obſervationem rerum humanarum ſapit.

LXXXIV. Quam multa profectò aliâ intentione accipiuntur ac proferuntur, quàm multa à bonis benè cogitata & laudato fini deſtinata à malevolis & verſutis ſiniſtrorſum torquentur & malo fini impendentur. Ejusmodi rerum in communi vitâ cuilibet patent exempla & experientia ea copiosè ſuppeditat. Nec tantum verſutiâ, verum etiam ignorantiâ & ſimplicitate hominum certum eſt multoties id evenire, cum nimirum quæ proferuntur, ſive in communi vitâ ſive à Legislatore ſecus ac à proferente intelliguntur. Et hæc quidem ab ipſis vocibus oritur difficultas & obſcuritas, quæ quidem major oritur ex earum connexione, nec tamen ſi ſeorſim conſiderantur parum difficultatis efficiunt.

LXXXV. Poteſt enim accidere ut primo Æquivocæ voces occurrant in oratione, quæ certè in oratione nunquam aut rarò poſſunt evitari. Res enim numero ſunt infinitæ, nomina autem finita, neceſſe eſt ergò plura eandem rationem habere, & nomen unum ſignificare. *Ariſtotel. de Elench. c. 2.* Quoniam autem Æquivocæ voces ſunt, quarum nomen ſolum commune eſt, definitio autem eſſentiæ ad nomen accommodata alia atque alia, *Ariſtotel. l. d. Categor.* confieri nequit, ut multiplex ſenſus poſſit præcaveri: cum ejusmodi æquivocum in lege aliquâ videns, eamq; vocem non unam rem ſed plures denotare animadvertens, ſtatim hæret, incertusq;

 eſt,

eſt, ad quam ex pluribus illis rebus ſignificatio vocis in præſenti pertineat.

LXXXVI. Deinde accidere poteſt ut Tropus Legem invadat, ex eadem quam in æquivocis aſſignavimus ratione, nempe penuria vocabuli rei explicandæ idonei (elegantiæ enim causâ quæ unà cum neceſſitate Tropum peperit eum adhibere non eſt Legislatoris) ubi iterum difficultatem magnam oboriri certiſſimum eſt, eſt enim obſcurum, quicquid per translationem dicitur. Ariſtot. *6. Top. 2.* dum hæres translatum vocabulum an in propriâ an in alienâ (quæ duo præter ſimilitudinem in Metaphorâ Voſſius *partit. Orat. l.* 4. *c.* 4. *n.* 1. nos in omni tropo requirimus & ſpectandas dicimus) debeas accipere.

LXXXVII. Demum ipſam vocis ſignificationem ignorare poſſumus, quod variè accidere poteſt. Vel enim voces poſſunt eſſe peregrinæ, ſummo equidem ſtudio à legislatore vitandæ: vel poſſunt eſſe priſcæ & inuſitatæ, nempe propter diuturnitatem temporis incognitæ redditæ, quamvis tempore legislatæ nulli non fuerint forſan planæ, nam longa ætas verba atq; mores veteres obliterare poteſt, quibus verbis moribusq; ſententia Legum eſt comprehenſa, ut Sextus Cæcilius apud Gellium *l. 20. c. 1.* dicit: vel poſſunt eſſe termini technici qui neminem quam artis illius peritum poſſunt non latere.

LXXXVIII. Ratione Connexionis multæ etiam oriuntur & grandes obſcuritates, ſi nimirum oratio ita ſit concinnata, ut epithetica locutio pariat amphiboliam. Quo pacto olim Comitem quendam in Galliis eluſiſſe aliquot è ſocietate Jeſu fratres fama eſt. Ille enim jamjam moriturus ne quid vanitatum Pontificiarum (Miſſas vocant) ſalutem animæ uti ſomniantur, procurantium, exſequiis ſuis deeſſet, filio autem quem habe-

bat

bat ſuâ largitione nihil detraheret, callido conſilio Jeſuitarum ardori habendi ita ſatisfecit. In teſtamento ultimam ſuam voluntatem his verbis declaravit: CONSTITUO VOS HÆREDES OMNIUM MEORUM BONORUM, ITA UT FILIO MEO DETIS, QUÆ VULTIS. Hæc verò oratio duplicem gerit ſenſum, unum pro Jeſuitis, ſi per Ellipſin addas ultimis verbis DARE FILIO: Contra Jeſuitas pro filio, ſi addas, VOS HABERE, ſeu quod idem eſt, QVÆ VOS DESIDERATIS.

LXXXIX. Poteſt etiam nomen Reciprocum non parum difficultatis parere, itidem interpunctio. Plura de hac materiâ vide apud Eichel *diſſ. d. Interpret. LL. p.* 1.

LXXXX. Patent hîc cuiq; Legum obſcuritates, quæ quia *L*eges fideliter comitantur, easq; *L*egislator etiam prudentiſſimus evitare non poteſt, neceſſarium eſt, eſſe habitum quendam, docentem nos hunc & non alium eſſe *L*egis ſenſum, hunc Caſum non alium *L*ege iſtâ contineri. Hic habitus dicitur INTERPRETATIO, & definitur PRUDENTIA LEGES AD FACTUM DEXTRE ACCOMMODANDI PER EXPLICATIONEM VERI SENSUS, QUEM LEX HABET.

XCI. Cum verò Interpretatio ſit duplex Authentica & probabilis JCtorum, dicimus nobis hîc de JCtorum probabili interpretatione tantum eſſe ſermonem, non de Authenticâ cum propriè hæc ad Nomotheticam pertineat, valeatq; in vim *L*egis, ideoq; non rarò ſi neſcias an qui evenit, caſum *L*ege ſua *L*egislator voluerit comprehenſum, ad ſupremam Majeſtatem recurrendum eſt, ut is *L*egum ænigmata ſolvat, omnibusq; aperiat, quæ etiam *L*egislatoris ſententiam, utut ſibi cognitam & perſpectam poteſt reſtringere & producere *Sut-*

bolt. diſp. 1. *theſ.* 7. & 10. De qua obiter hoc dico, illam omnibus aliis interpretationibus eſſe præferendam *l. ult. C. d. LL.* ſive illi ipſi eas interpretentur qui Leges tulerunt *per l.* 96. *ff. d. R. I.* quia optimus quilibet eſt verborum ſuorum interpres: ſive illi qui in eorum locum ſucceſſerunt, Majeſtatem tamen etiam habent. Quamcunq; enim mentem Legi ineſſe dicit Majeſtas, ea reverà obſervari debet, quidni ergò etiam interpretari poſſit Leges latas qui eas condere poteſt?

XCII. Verùm ejusmodi quid, quando Majeſtas peragit, non id prudentiæ eſt, aut neceſſe eſt ejus ſit opus, ſed ex ſuprema ſua poteſtate hæc interpretatio dependet, atq; ſolâ voluntate Principis.

XCIII. Secus comparatum eſt cum probabili JCtorum interpretatione, quam nos tractamus, quippe quæ nullâ vi externâ pollet, ſed ideò valet, quia rationi & veritati Legum illa habetur conveniens.

XCIIII. Diximus in definitione Interpretem VERUM LEGIS SENSUM EXPLICARE, quod quomodo fiat, porrò eſt explicandum. Et ex antecedentibus patet, Nullam Legem planam poſſe eſſe & perſpectam, ut ejus diſpoſitio cuivis eum inſpicienti poſſit eſſe manifeſta, adeoq; cuivis Legi neceſſariò adhærere obſcuritatem. Has obſcuritates quando removet Interpres Legum, tùm officio ſuo eſt defunctus, ſenſumque Legum eſt aſſecutus.

XCV. Quia verò obſcuritates duûm eſſe generum jam anteà in aperto poſuimus, duas etiam ſtatuimus interpretationis partes, quarum altera circa res, altera circa verba verſetur, Hanc verbalem, illam Realem dicere poſſumus. Hæc obſcuritates quæ propter verba Legibus

acci-

accidunt tollit, illa obſcuritates quas res ipſa ſeu Legum materia ſecum fert, depellit. Realem pleriq; JCtorum in Extenſivam dividunt & Reſtrictivam, quam quidem in Legibus Rom. toleramus, In Legibus dextrè ſcriptis & in generali conceptu conſideratis, rejicimus cum Eichelio *diſp. d. Interpp. LL p.1. c.27.* Et dicimus Realem interpretationem tantummodò eſſe reſtrictionem, quæ leges generaliter & univerſaliter conceptas, (qualiter tantum concipi debere ſupra eſt dictum) reſtringit, quòd uuiverſaliter illæ intellectæ iniquitatem præ ſe ferant.

XCVI. Secundum Jus noſtrum & Leges Romanas ſi Legum interpretationem conſideramus, non excludimus Extenſivam, ſed Realis interpretationis duas ponimus ſpecies, Extenſivam & Reſtrictivam. Reſtrictivam Interpretationem dicimus, per quam verba Legis ex ſententiâ & ratione anguſtiore reſtringuntur, quoties Legislator univerſalem propoſitionem fecit ſeu generaliter quidem eſt locutus, minus tamen voluit quam expreſſit, *Sutholt. diſp. 1. ad Inſt. aph.14.* Extenſiva Interpretatio eſt, per quam verba Legis extendimus & producimus ad caſus ſimiles, quos Legislator verbis quidem non comprehendit, interrogatus tamen hodiè idem de iis ſit reſponſurus quod de caſibus expreſſis *Sutholt ibid. aph. 13.*

VCVII. Diximus autem ante in LL. propriè & rectè latis, quæq; ideò ut Leges ſint feruntur, eam locum non habere. In Jure autem Rom. quod ea reperiatur, hæc eſt cauſſa, quod Corpus Juris noſtri Romani, non ſolis Legibus conſtet (Leges enim ſi propriè intelligas ut ſunt præcepta faciendorum & non faciendorum, pauciſſimæ illæ ſunt, aut certè non adeò multæ *Dn. Hahnius adtit. d. LL. n.1.*) ſed maximam partem interpretationibus

bus prudentum & conſtitutionibus principum ſit refertum. Jam utique conſtat interpretationes prudentum non eſſe *L*eges, ſed eſſe explicationes *L*egum, imò etiam perſæpè conſilia, quæ in hoc vel illo caſu requirentibus ſunt data. Cum enim hi ſæpenumero etiam in rebus ſubtilibus & particularibus etiam ab uſu remotis fuerint verſati, illorum interpretationes pro *LL.* non ſunt habitæ nec valuerunt priusquam in corpus Jurs redacta ſunt. *Weſemb.tit.d.LL.n.4.* Conſtitutiones Principum quod attinet, illæ non fuêre uniusmodi, conſtat enim alia fuiſſe Edicta, alia Decreta, alia Reſcripta. Edicta fuerunt, quando generaliter & proprio motu princeps quid conſtituit ad uſum ſubditorum, & quando id agit, tum Legem condit. Reſcripta fuerunt, quando Magiſtratibus de jure dubio eum conſulentibus reſpondit, quæ Reſcripta ad interpretationem Authenticam pertinent. Decreta fuerunt, quando ipſe Princeps de cauſa cognovit, & partibus auditis ſententiam pronunciavit, quem veterum Principum morem fuiſſe teſtantur hiſtoriæ. Jam autem Edicta quod attinet, concedimus *L*eges propriè ſic dictas fuiſſe, De Reſcriptis & Decretis negamus, quamvis vim *L*egis habuerint. Vid. *Weſemlec.tit.d.LL. n.4. & ad eum Hahn.*

XCVIII. Hujusmodi autem interpretationibus prudentum, Reſcriptis & Decretis cum Corpus noſtri juris abundet, & à Juſtiniano illa tanquam *L*eges valere ſint juſſa apertum eſt, poſitis ejusmodi LL. etiam ponendam fuiſſe Interpretationem Extenſivam.

XCVIIII. De iis, qui activè circa Leges verſantur, vidimus hactenus: Supereſt ut quinam paſſivè circa Leges verſantur, diſpiciamus. Diximus *th. 26.* illos eſſe

Paren-

Parentes, ſeu quod idem eſt, quos Leges obligant, & in quos Leges agunt.

XC. Eſt autem Legum obligatio vinculum quo aſtringimur ad implendum id, quod in Lege eſt præceptum vel prohibitum, ſeu quo voluntas & actus ſubditorum conformantur voluntati ejus qui Legē tulit, ejusq; ferendi habuit poteſtatem.

CI. Ejus alii tres alii duas faciunt ſpecies. Nos illos ſequimur qui duas ſtatuunt Directivam, quando ſola conſcientia monet hoc eſſe faciendum, illud fugiendum; & Coactivam, quando præter conſcientiæ ſtimulos, etiam pœna à Majeſtate ſtatuta refractarios cogit.

CII. Obligationem Directivam habet Lex vel ab ipsâ Naturâ, vel ab Objecto Legis: Coactivam habet, à Legislatoris voluntate & juſſu, quem ſolum modo promulgatio acceſſerit, ſufficientem obligationi Coactivæ producendæ eſſe ſtatuimus. Non hic requirimus ut Leges à ſubditis recipiantur, aut ad minimum à majore ejus parte ut vult Horneius in Ethicis; aut ut alii dicunt, quaſi Leges inſtituantur, dum promulgantur, firmentur demum cum moribus utentium approbantur. Verùm cum Conringio dicimus, hoc in Repub. populari verum eſſe, in illa autem, in quâ vel penes Unum, vel penes Paucos eſt Imperium, nullatenus illâ receptione opus eſſe, imò eſſe ſupervacaneam.

CIII. Tandem ut finem diſſertationi faciamus, dicimus Obligationem Legis pertinere ad omnes illos, quibus Lex eſt lata, ubi cautè monendum Leges omnes illas quæ à Politicâ poteſtate non ſunt latæ, aut ab eâ in numerum Legum Civilium receptæ tantùm habere vim Directivam, quæ verò à Politicâ Majeſtate ſunt latæ, et-

jam habere vim coactivam. Unde in proclivi eſt ſatisfacere quæſtioni, quâ quæritur an Princeps ſit ſolutus Legibus? Nempe, quoad utramq; obligationem ſolvimus illum Legibus à Poteſtate Politicâ latis, quoad vim Directivam autem aſtringimus illum omnibus Legibus à Poteſtate Politicâ non latis.

CIIII. Quod Imperatorem noſtrum concernit, an nimirum ille ſit legibus ſolutus? diſtinguenda tempora antiquâ ſunt ab hodiernis: Tempora antiqua, quod attinet, certum eſt, Imperatorem nullis fuiſſe Legibus aſtrictum, ſed omnibus ſolutum, ut id Dio teſtatur *l. 53.* Cum enim temporibus liberæ Reipubl. aliquando uſurpatum eſt, ut Populus aut Senatus civem aliquem ob heroicam indolem aut ſingularem virtutem unâ aliqua lege ſolveret, puta ut ante ætatem legitimam Magiſtratum gerere, aut intra tempora conſtituta eundem repetere liceret, ſicut de Pompejo, Africano, Octaviano & multis aliis factum legimus; quidni ergò Principem cum omnibus civibus excellentior haberetur, omnibus Legibus ſolverint. *Vinnius Comm. ad §. ult. I. Quib. mod. teſt. infir. n. 1.* Deinde etiam ex *§. 6. I. d. I. N. G. & C. l. 1. Conſtit. princ. l. 1. ſed & hoc. 7. C. d. V. I. E.* id rotunde probatur, quia enim ibi populus principi omne imperium ſuum & poteſtatem conceſſit, utique Imperator ſummam Majeſtatem eſt conſecutus, quam qui habet Legibus eſſe ſolutum paulò ante demonſtravimus. Nec noſtræ ſententiæ obſtat *l. §. ult. I. Quib. mod. teſt. infir.* ubi dicitur quod Legibus vivant Imperatores, item *l. 23. d. Legat. 3. l. 3. C. d. Teſtam.* Accuratè enim diſtinguenda ſunt officium & Jus Principis. Et dicimus nos & ſi jus Principis ſit, ſi dignitatem ſpectes

ctes & imperii poteſtatem ut Legibus omnibus civilibus ſit ſolutus, tamen officium Imperatoris eſſe Legibus vivere, iisq; parendo ſuo exemplo præire illos, quibus ſolis latæ ſunt. Nec ſecundò obſtat *l. 1. §. 1. ad l. Jul. Majeſt.* ad quam in diſcurſu reſpondebimus.

CV. De noſtro Imperatore Roman. Germ. hodierno quid ſentiendum vide Carpzovium de Lege Regiâ. *c. 2. ſect. 1.*

F I N I S.

I.

INgenium dives, Themidos quod ſublevat ardor
Pronior, his prodis LEGIBUS appoſitè.
Urge, CHARE, Themis Tyrio cum murice ſertum
Offeret exornatura caput meritum.

Eximiè Erudito Dn. Authori hujus diſſert. grat.

PRÆSES.

II.

HOc age: *Lex ſtudiis addictæ dicta juventæ,*
Hæc, menſæ, Knopi, *portio chara meæ.*

dum curæ Tibi, qui fructus non ampliter olim
hinc capias? capias! Sic mea crena vovet.

deproperab. αὐτοσχεδ.

Præſtantiſs. Dn. *Knopio*, convictori & amico perdilecto, feliciſſimos ſtudiorum benè cæptorum ſucceſſus ὁλοψύχως apprecans

PHILIPPUS Horſt Brunſvigâs,
PP. Facult. Philoſ. Senior.

III.

WEr ſeinem Namen wil der Sterbligkeit entziehen/
Muß hochgeſinnet ſeyn/ daſſelbe muthig fliehen/
Was ſchlecht und niedrig iſt/ jhm ſtellen ſtetes da
Die ſchöne Ehrenpfort/ der Tugend kommen nah.
Ein Tugendhafftes Hertz mag gerne jmmer ſiegen/
Nicht mit dem Pöbelsmann daheim und unten ligen:
Kunſt und Geſchickligkeit die machet nur allein/
Daß man von dieſer Schaar kan abgeſondert ſeyn.
Herr Knopff mein werter Freund. jtzt offentlig bezeuget/
Daß/ obgeſiegtes Hertz ſich auch bey jhm ereuget/
In dem er ſeinen Fleiß auch giebet an den Tag/
Wie man aus diſer Schrifft ſcheinbarlich ſehen mag.
Wol an! er fahre fort. Wir wündſchen Glück und Stercke
Zu ſolcher Tugendbahn und hochrühmlichen Wercke!
Gantz nicht zu zweiffeln iſt/ er werde dieſen Lohn/
Den alle Tugend gibt/ auch tragen ſelbſt davon.

Glückwündſchend ſchrieb dieſes ſeinem
werthem Freund und Haußgenoſſen

Friedrich Caſimir Herr
zu Eltz.

Jetzt

IV.

JEtzt da allgemehlig ſchleichet
Und der Winter wieder weichet:
Jtzt da alles iſt bereit
Zu der ſchönen Frühlings-Zeit/
Leſſt Herr Knopff auch an ſich ſehen/
Was im Winter ſey geſchehen.

2.

Was die rauche Winters Kälte/
Unter dieſem Himmelszelte
Hat verdorben/ gibt die Frucht/
Die nuhmero wird geſucht:
Was geblieben unverſehret
Sich bey dieſer Zeit vermehret.

3.

Nemlich ſeine Kunſt iſt blieben
Von dem Winter unzerrieben
Seine Arbeit ſeine Müh'
Mercklich wird geſpüret hie:
Dieſe Früchte ſind zu preiſen/
Die ſich thun alſo erweiſen.

4.

Was ein hoher Schnee bedecket
Und auch tieff vergraben ſtecket/
Solches pfleget nicht ſo bald
Haben einige Gewalt
Von der Winters Macht empfangen
Sondern bald herwider prangen.

5.
Alſo kan ein gut Gemüthe
Bey der edlen Tugend blüte
Durch die Tugend ſeyn befreyt
Aller Widerwertigkeit
Aller Hinderniß benommen
Recht zu ſeinen Früchten kommen.
6.
Ja die FrühlingsZeit der Jugend
Bringet Früchte jhrer Tugend /
Wenn der Winter jhre Saat
Annoch nicht erſticket hat/
Fleiß nnd Mühe/ Knnſt und Gaben
Können alles wieder laben.
7.
Nun wie Früchte dieſer Erden
Mercklich könn en beſſer werden /
Den wen Gottes reiche Hand
Jhren Segen zugewandt
Wen Gott ſelbſten diß vermehret
Was im Winter nicht verſehret.
8.
Alſo wündſch ich zu den Gaben
Die wir jetzt geſehen haben/
Ewer ſchönen FrühlingsZeit
Alle Glücks Erſprießligkeit
Jetzt der Höchſte laß in allem
Dieſe Früchte jhm gefallen!

9. Al-

9.

Alſo wird der Sommer geben
Edle Früchte gutes Leben/
Ja der Herbſt wird auch zugleich
Mit den Jahren werden reich
Wenn der Frühling iſt vergangen/
Habt ihr ſolche zuempfangen.

Bey öffentlicher Darweiſung der Geſchick-
ligkeit/ wündſchte alſo Glück ſei-
nem geehrten Freunde

Johann Adolph Herr
zu Eltz.

BIBLIOTECA ... ROMA